DE CICVTA ATHENIENSIVM POENA PVBLICA

INDVLTV

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

ACADEMIA PATRIA

PRAESIDE

M. SIGISMVNDO FRIDERICO DRESIGIO

A. D. XXXI. IVLII A. O. R. cIɔ Iɔcc XXXIIII.

DISSERET

ADRIANVS DEODATVS STEGERVS

LIPS.

LIPSIAE

LITERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMII.



Q. D. B. V.

§. I.

PRaemia uirtutis uitiorumque poenas in rebus publicis plurimum semper ualuisse multumque profuisse, cum multi, quos tulit antiquitas, scriptores uerbis sapientissimis praeceperunt, tum in primis SOLON, sapiens unus ex septem, et legum scriptor solus ex septem, cognouisse, et omnibus commendasse ciuitatibus etiam atque etiam uidetur, quando,ut refert CICERO *Epist.XV. ad Brutum,rempublicam duabus rebus contineri dixit,praemio et poena.*Atque hanc sui legislatoris sapientissimi sententiam suo exemplo sane excellentissimo confirmauitres, quoad floruit stetitque, Atheniensium publica. quae quemadmodum uariis praemiis uirtuti eiusque studiosis publice propositis,uirtutem ipsam studiumque illius feliciter ingenerauit quasi animis suorum ciuium, sic multa quoque habuit poenarum genera in eos sancita, qui,eiurata uirtute, sceleribus uariis emancipati uitiis se contaminarant. Perlustranti uero scriptores,qui Antiquitates Graecas et nominatim Atticas,scriptis suis doctissimis post renatas in Europa litteras illustrarunt, mirum saepenumero mihi uisum

 est,

eſt, qui factum ſit, ut, quum reliquas poenarum ſpecies Athenis olim uſitatas ſatis accurate commemorauerint, cicutae tamen potionem inter publica ſupplicia ſuo iure referendam plerumque ſicco, quod aiunt, pede tranſierint, neu mentionem illius fecerint ullam. Equidem id nolim ignorantiae Virorum in hoc genere uerſatiſſimorum tribui, quippe quos non facile quicquam in uniuerſa antiquitate fugit. At quum cicutae hauſtum in publicis poenis Athenienſium uel omiſerint penitus, uel obiter tantum indicauerint, malim id ſtudio breuitatis interdum paene nimio adſcribi, quo ducti ſatis habuerunt de uariis necandi homines modis iisque publicis per uenena, generatim annotaſſe hoc genus ſupplicii φάρμακον dictum fuiſſe. Neque profecto dubium eſt ullum, quin φάρμακον omnia illa ſupplicia apud ueteres ſaepiſſime ſignificauerit, quae uenenis ſunt peracta; docente id IVLIO POLLVCE *Onomaſt. Lib. V. ſegm. 132. p. 547*. Nos, omiſſis reliquis, *de cicuta, publica Athenienſium poena*, quam ex uetuſtatis ruderibus, Deo bene iuuante, eruere animus eſt, id paucis docere noſtri putamus officii eſſe. Quod quidem cum ex aliis bene multis ueterum teſtimoniis ipſa luce clarius eſt, tum ex eo praeter cetera elucet, quod PLATO cum primis et XENOPHON, ſuo quisque loco inferius adducendus, ſaepiſſime adhibent de cicutae ſupplicio nomen φάρμακον, ubi alii auctores poſuerunt κώνειον. Accedunt HESYCHIVS et POLLVX, Grammaticorum ueterum facile principes. quorum ille in Lexico, omnis eruditionis theſauro ampliſſimo κώνειον interpretatur δηλητήριον, ἤτοι θανάσιμον, hic uero loco iam adducto, coniungit φάρμακον, ὀλέθριον, δηλητήριον, θανάσιμον, et paucis interiectis huc quoque refert κώνειον. Hinc φάρμακον et κώνειον unum idemque ſonant apud LIBANIVM *Declam. VIII. p. 340. D.* Φάρμακον αἰτῶ, κώνειον ζητῶ, τελευτῆς ἐρῶ.

§. II.

Cicuta quae Latinis dici conſueuit, a Graecis appellatur κώνειον. cuius nominis uaria et ſcriptura reperitur et deri-

deriuatio. Tritiſſima quidem et reliquis fortaſſe quoque praeferenda eſt eius ſcriptura, quando ea, qua iam nunc exhibuimus, elementorum ratione legitur. Interim tamen non *κόνειον* ſolum, ſed et *κώνιον* ſcriptum fuiſſe conſtat. Vtrumque certe in codicibus MSC. IVLII POLLVCIS, quemadmodum Viri doctiſſimi annotarunt, inuenitur et illud quidem *Lib. V. ſegm. 132. p. 547.* hoc uero *Lib. VII. ſegm. 71. p. 897.* Quid? quod etiam *κόνιον* ſcriptum fuit, teſte SVIDA *Tom. II. p. 345.* ubi uid. LVD. KVSTERVS. Nec minus deriuatio nominis *κωνεῖυ* diuerſa traditur, eaque triplex. nam uel a *καίνειν*, quod eſt *interficere*, uel a *κοίμημα*, uel denique a *κωνᾷν*, h. e. a circumuertendo, quod uertiginem et imagines rerum earum, quae adſpiciuntur, quaſi circumagat ac tenebras inducat iis, qui eam biberunt. Ita de origine huius nominis ETYMOLOGICVM M. p. 551. *uerſ. 13.* *Κώνειον δὲ αὐτὸ καλοῦσι διὰ τὸν γινόμενον εἰλιγμὸν καὶ σκότον τοῖς πίνουσι. τὸ γὰρ στρέψαι κωνῆσαι ἔλεγον οἱ παλαιοί. ἢ παρὰ τὸ καίνειν καὶ κόπτειν, ἢ παρὰ τὸ κοίμημα.* Ego uero cauſſam uideo nullam, quare illa deriuatio non ſit praeferenda reliquis, quae hoc nomen deducit a *κωνᾷν*. ea enim et rei conuenit ipſi apprime, et a GALENO iam eſt comprobata, qui *libro, quod mores animi temperamenta corporis ſequantur cap. 3. p. 447. D.* edit. Pariſienſ. *Καὶ μέν τοι καὶ διὰ τὶ μωρίαν αὐτὴν ἐργάζεται κώνειον ποθὲν, ᾧ καὶ τοὔνομα ἔνθεν παρώνυμον ἀπὸ τοῦ πάθους, ὃ πάσχον ὁρῶ ὑπ᾽ αὐτοῦ τὸ σῶμα.* Praeterea id quoque obſeruandum duco, Graecos hoc nomen non in neutro genere tantum, uerum etiam in feminino extuliſſe, quod diſcimus ex HESYCHIO, qui *κωνείαν* exponit *νάρθηκα καὶ πόας εἶδος*, et cui paullo poſt etiam *κώνειον* eſt *βοτάνη νάρθηξ.* Quemadmodum autem Graeci Latinis uocabulorum copia praeſtant longiſſime, ſic et *κώνειον* uariis fuit nominibus apud eosdem indicatum. Sic teſte SCHOLIASTE *ad Nicandri Alexipharmaca* p. 59. edit. Pariſ. ab aliis *κρεκέανον*, ab aliis *κορίανον*, ab aliis denique *ἀνησοειδὲς* uocatum fuit. quod ultimum iterum confirmat HESYCHIVS, qui *ἀννησοειδὲς* explicat *κώνειον*, et eodem auctore, *κώνειον* quoque appellatum fuit *ἐφήμερον*.

§. III.

§. III.

Cum rariſſimae ſunt illae uoces, quae unam ſemper eandemque retineant notionem, nec a natiua ſua ſignificatione unquam recedant, tum nemo, opinor, facile mirabitur, nomen *cicuta* in Latio diuerſam uariamque uim quondam obtinuiſſe. Duplicem autem in primis ſignificatum huic uerbo a Latinis aſſignatum fuiſſe uel ex Lexicorum uoluminibus apparet. Nam prima ac propria eius ſignificatio eſt, qua herbam uenenoſam notat, quam ita deſcribit PLINIVS *H.N. Lib. XXV. c. 13, Cicuta ſemen habet noxium, caulis autem et uiridis eſtur a plerisque et in patinis, leuis hic et geniculatus, ut calami nigricans, altior ſaepe binis cubitis, in cacuminibus ramoſus. folia coriandri tenuiora graui odoratu, ſemen aniſo craſſius, radix concaua.* addi, ſi placet, etiam poſſunt, quod ad deſcriptionem cicutae herbae attinet, THEOPHRASTVS *Hiſtor. Plant. Lib. IX. c. 17.* et DIOSCORIDES *Lib. IIII. c. 79.* Altera, quae huic nomini a priſcis ſubiicitur, uis eſt, qua ſonat inſtrumentum muſicum. LVCRETIVS *Lib. V. uerſ. 1283. ſeq.*

Et Zephyri caua per calamorum ſibila primum
Agreſtes docuere cauas inflare cicutas.

VIRGILIVS *Eclog. V, uerſ. 85.*

Hac te nos fragili donabimus ante cicuta

uid. FORTVNIVS LICETVS *in antiquis ſchematibus gemmarum annuralium* p. 414. ſeqq. His duabus uocis *cicutae* apud Latinos notionibus tertiam nobis addere licebit. quae tametſi ad primam illam proxime accedit, non tamen plane cum ea conuenire uidetur. Ea uero eſt, quando nomen *cicuta* ipſam denotat cicutae potionem apud antiquos, maxime Athenienſes, uſitatam. Atque hoc quidem ſenſu legitur aqud SENECAM *Epiſtol. XIII, Cicuta magnum Socratem fecit.* Nos igitur quum de *cicuta* agere *publica Athenienſium poena* inſtituimus, neminem per ſe non intellecturum eſſe exiſtimamus, nomen cicutae eo a nobis ſignificatu accipi, quo notat cicutae potionem, tertio loco commemorato. Quoniam uero haec notio ſine propria illa ac prima

iſtius

istius uocis significatione stare non potest, utraque hic in censum ueniat, oportet. Ipsa cicutae potio uariis modis ab auctoribus Latinis efferri solet. nam modo uocatur *calix uenenatus*, ut apud SENECAM *Epistol. LXVIII. potio publice mixta* apud eundem *de prouidentia cap. 3.* modo dicitur *herbae pestilentis succus noxius*, sicut in APVLEIO *Metamorph. Lib. X. p. m. 192. ueneni potio*, auctore VALERIO MAXIMO *Lib. III. c. 2. extern. num. 6.* et *sorbitio cicutae*, ut habet PERSIVS *Satyr. IIII, 2.* Graeci de hoc genere usurpare soliti fuerunt κώνειον. πίνειν, uid. ARISTOPHANES *Ranis uers. 183.* et LVCIANVS *Fugitiu. p. 596.* uocaruntque hanc poenam τὴν τοῦ κωνείου πόσιν, quemadmodum est in DIODORO SICVLO *Lib. XVIII, p. 663, D.* AELIANO quoque dicitur φιλοτησία *Histor. Var. Lib. XII. c. 40.* ut ne commemorem, saepissime hac in parte usurpatum esse nomen φάρμακον.

§. IIII.

Cicutam eiusque potionem apud Athenienses publicum fuisse supplicium, quo capitis damnati plectebantur, manifestum est non solum ex PLINIO *H. N. Lib. XXV. c. 13, Cicuta quoque uenenum, publica Atheniensium poena inuisa*, uerum etiam ex TACITO, qui *Annal. Lib. XV. c. 64.* illam uocat *uenenum, quo damnati publico Atheniensium iudicio extinguebantur.* add. LIBANIVS *Declam. IX. p. 358. C.* et *Declam. XXIX. p. 679.* Quando uero hoc genus supplicii et a quo apud Athenienses omnium primo institutum sit, equidem pro explorato non habeo, propterea quod me non memini id disertis uerbis in ullo auctore legere. Quodsi tamen ex iis, quibus haec poena publice inflicta est, tempus ipsum, quo haec feralis cicutae potio in usu esse coeperit, quodam modo colligere liceat, me non plane a uero aberraturum spero, ubi dixero, triginta tyrannis Athenas seruitute oppressas tenentibus hunc homines interficiendi morem inuentum esse. Nam cum primum Athenis reipublicae administratio mutata fuit, et a Lysandro Spartano XXX. uiri ad uniuersa urbis negotia gerenda instituti, horum tyrannorum crudelitas ciues Atticos uariis suppli-

ciorum

ciorum modis diuexauit. Siquidem eo ipso, quo hi XXX. tyranni imperare Athenienſibus coeperunt, anno, qui fuit Olympiados XCIIII. primus, uid. DIODORVS SICVLVS *Lib. XIIII. p. 396. B.* et XENOPHON *Hiſtor. Graec. Lib. II. p. 46,* Theramenes iuſſu horum tyrannorum cicutae hauſtu periit. Et quamuis illorum imperium triennio uix longius fuiſſe uideatur, reſtituta patriae a Thraſybulo libertate anno eiuſdem Olympiadis ultimo, tamen ſub eorundem tyrannide praeter Theramenem eodem mortis genere interiit Polemarchus, de quo paullo poſt agemus pluribus. Certe tyrannis uſitatum fuiſſe, ſibi ſuaeque dominationi inuiſos e medio cicuta tollere, conſtat etiam exemplo Clearchi Heracleotarum tyranni, quem teſte ATHENAEO *Deipnoſoph. Lib. III. c. 7. p. 85. A.* THEOPOMPVS *libro XXXVIII. hiſtoriae ſuae* memorat non ſolum per uim multos palam necaſſe, uerum etiam plurimos potu cicutae per inſidias e medio ſuſtuliſſe. Idem etiam ſua tyrannide comprobare uidetur Olympias Alexandri M. mater, quae referente DIODORO SICVLO *Lib. XIX. p. 676. C,* Eurydicae carceri incluſae εἰσέπεμψεν ξίφος καὶ βρόχον καὶ κώνειον, καὶ συνέταξε τέτων, ᾧ βέλοιτο καὶ ταχρήσαϑαι πρὸς τὸν ϑάνατον. quam rem quoque memoriae tradidit AELIANVS *V. H. XIII, 36. p. 406.* edit. Gronou. Denique aut omnis fallor, aut LYSIAS clariſſime docet, cicutae potionem publicam a tyrannis his XXX. inſtitutam eſſe. Sic enim ille *Oratione XI,* quae eſt *contra Eratoſthenem,* ex his XXX. unum, *cap. 5. p. 150,* Πολεμάρχῳ δὲ παρήγγειλαν οἱ τριάκοντα τὸ ὑπ᾽ ἐκείνων εἰϑισμένον παράγγελμα, πίνειν κώνειον. Nam cum apud ueteres non inueniatur, quis ante hos XXX. tyrannos Athenis hoc ſupplicio in ciues ſaeuierit, quiſue Theramene prior cicuta publica interfectus ſit, tum in Lyſiae loco allato uerba, εἰϑισμένον παράγγελμα, non ſolum conſuetudinem frequentemque uſum cicutae, publicae poenae, ſed et ipſam originem huius ſupplicii a tyrannis iſtis repetendam indicare nobiſque aperire uidentur.

§. V.

Quum igitur certum ſit, cicutae potionem, publicae poe-

poenae ſpeciem apud Athenienſes quondam fuiſſe, tradita illius,quoad eius fieri potuit, origine, nunc iure nobis uidemur inueſtigare, in quos homines et in quae crimina hoc ſupplicio animaduerſum fuerit. Id uero meliori ratione fieri uix poſſe intelligimus, quam ſi exempla eorum, qui hanc poenam ſuſtinuerunt, conſiderauerimus, ex iiſdem rem ipſam illuſtraturi. Itaque primus, quod ſcimus, cicuta, publica poena, Athenis occiſus eſt Theramenes, qui magiſtro Socrate in philoſophiae praeceptis non mediocriter imbutus, auctore DIODORO SICVL. *Lib. XIIII. p. 397. C.* et teſte THVCYDIDE *Lib. VIII. c. 68.* nec infacundus nec imprudens uir fuit. Populari ipſum imperio fauiſſe ex eo colligit DIODORVS *Lib. XIII. p. 350. A*, quod eodem auctore ac ſuaſore Athenienſes abrogato CCCC. imperio ſtatum reipublicae ad ciuium arbitrium reuocauerint, et Alcibiadem reuocandi conſilium ceperint. unde factum ſit, ut propter moderationem et aequitatem populo perſpectam cunctis ſuffragiis inter XXX. principes legeretur ad auaritiam reliquorum in hoc ordine nonnihil coercendam. uid. DIOD. SICVL. *Lib. XIIII. p. 396. D.* Contra ea THVCYDIDES *Lib. VIII. c. 89.* eum ſcribit inter eos, qui popularem ſtatum euerterunt, primum fuiſſe. Quae tamen omnia, licet ſibi contraria uideantur eſſe, facili negotio conciliari poſſunt auctoritate LYSIAE, qui de hoc Theramene *Orat. XI. p. 170. ſeq.* refert, eum tamdiu oligarchiae fauiſſe, quamdiu in honore habitus fuiſſet. ubi uero uidiſſet alios ſibi praeferri, ad populi partes tranſiiſſe, et paucorum dominatui reſtitiſſe. Vnde PLVTARCHVS *Nicia p. 524. A.* eum numerat inter optimos tres illos ciues,qui patria erga populum beneuolentia et amore fuerunt. Et ſane negari nequit, hoc populi ſtudium, et hanc cum tyrannis ceteris coniunctionem exitio fuiſſe Therameni. Nam quum collegis ſuis, qui ditiſſimos quosque comprehenſos capitis damnabant, eorumque bona publicabant, aduerſaretur fortiter et ſe uindicem libertatis fore minitaretur, Critias, tyrannorum princeps, eum in ſenatu a XXX. uiris conuocato mul-

tis criminibus onerauit. In primis uero ipſum διέβαλλον ὡς λημαινόμενον τὴν πολιτείαν, ut auctor eſt XENOPHON *Hiſtor. Graec. Lib. II. p. 464. C.* addatur DIODORVS *d. l. p. 397. B.* Et tametſi ea, quae ipſi obiiciebantur, crimina ita diluerat Theramenes, ut totius Senatus beneuolentiam ſibi comparaſſet, a Critia tamen eiusque factione per uim oppreſſus et Vndecim uiris, ut interficeretur, traditus eſt, quemadmodum haec copioſius narrat XENOPHON *d. l. p. 470. A.* qui quum per forum duceretur in carcerem, non multitudo ſolum indignam ipſius ſortem miſerata eſt, ſed et Socrates, praeceptor, duoque familiares accurrerunt, et lictores prohibere conati fuerunt, ipſius Theramenis precibus ab incepto auocati. uid. DIODORVS *d. l. p. 397. C.* Quo autem ſupplicii genere obierit, licet nec DIODORVS *d. l.* nec IVSTINVS *Lib. V. c. 9. n. 2.* diſertis uerbis expoſuerint, teſtantur tamen alii bene multi cicuta eundem iuſſu tyrannorum uitam cum morte commutaſſe. Relatum ſane legimus apud XENOPHONTEM *d. l. p. 470. C.* eum ἀποθνήσκειν ἀναγκαζόμενον τὸ κώνειον πιεῖν, accedit AELIANVS V. H. XI. 21. quo teſte ὑπὸ τῶν τριάκοντα ἀνῃρέθη πιεῖν κώνειον καταναγκασθείς. Ex Latinis euolui hac de re poteſt Romanorum diſertiſſimus CICERO *Tuſculan. I, 40.* Quanta conſtantia, quantaque animi praeſentia mortem oppetierit uiolentam Theramenes, eo abunde cognoſcitur, quod ipſam cicutam Critiae, aduerſariorum principi, propinauit, et id, quod reliquum in poculo uenenato fuerat, ſic in terram iocabundus eiecit, ut reſonaret. Rem praeter alios ita narrat VALERIVS MAXIMVS *III, 3, exter. 6. Nec Theramenis quidem Athenienſis in publica cuſtodia mori coacti parua mentis conſtantia, in qua triginta tyrannorum iuſſu porrectam ueneni potionem non dubitanter hauſit, quodque ex ea ſuperfuerat, iocabundus illiſum humo clarum edere ſonum coegit, renidensque ſeruo publico, qui eam tradiderat, Critiae, inquit, propino. uide igitur, ut hoc poculum ad eum continuo perferas.* De ſapientia eiusdem teſtis eſt quodam modo hiſtoria, quam litteris

ad

ad posteritatem transmisit PLVTARCHVS *in consolatione ad Apollonium Tom. II. Opp. p. 105. B.* Θηραμένης δὲ ὁ γενόμενος Ἀθήνησι τῶν τριάκοντα τυράννων, συμπεσούσης τῆς οἰκίας, ἐν ᾗ μετὰ πλειόνων ἐδείπνει, μόνος σωθεὶς, καὶ πρὸς πάντων εὐδαιμονιζόμενος, ἀναφωνήσας μεγάλῃ τῇ φωνῇ, ὦ τύχη, εἶπεν, εἰς τίνα με καιρὸν ἄρα φυλάττεις;

§. VI.

Alter, quem sub XXX. tyrannis cicutae potio uita priuauit, fuit Polemarchus, Lysiae oratoris frater, quem ut Therameni proxime iungeremus, temporis ratione nos maxime adductos esse profitemur. Quamuis autem uero uideatur quam simillimum, multo plures his duobus inter eos, quos hi tyranni auaritiae studio ducti propter facultatum amplitudinem interfici iusserunt, cicuta necatos fuisse, tamen, quum id de aliis nondum expresse traditum ab antiquis annotauerim, tamdiu mihi in hoc, quem obseruaui, numero acquiescere licebit, quoad plures proferantur ab his XXX. uiris publice hoc poculo uenenato peremti. Hunc Polemarchum, de quo sermo est, Lysiae fratrem fuisse, clarissimis uerbis legitur apud SVIDAM *Tom. III. p. 138.* Πολέμαρχός ἐστι καὶ κύριον ὄνομα, ὁ τοῦ Λυσίου ἀδελφός. et sub his XXX. tyrannis interiisse ex PLVTARCHO constat, qui Lysiam memoriae mandauit tunc temporis fratrem suum amisisse, in uita eius, quae est inter decem oratores Graecos tertia. add. PHOTIVS *Biblioth. p. 1463.* Comprehensus ille est ab Eratosthone, tyrannorum uno, et in carcerem abductus, ubi iussus uel coactus potius est ab his XXX. indicta caussa cicutam bibere. Iuuabit hac de re audire ipsum fratrem LYSIAM, qui in *Oratione XI.* quae est contra ERATOSTHENEM, *c. 5. p. 150.* Ἀφικόμενος δὲ εἰς Ἀρχένεω τοῦ ναυκλήρου, ἐκεῖνον πέμπω εἰς ἄστυ πευσόμενον περὶ τοῦ ἀδελφοῦ· ἥκων δὲ ἔλεγεν, ὅτι Ἐρατοσθένης αὐτὸν ἐν τῇ ὁδῷ λαβὼν εἰς τὸ δεσμωτήριον ἀπαγάγοι. καὶ ἐγὼ τοιαῦτα πεπυσμένος τῆς ἐπιούσης νυκτὸς διέπλευσα Μεγάραδε. Πολεμάρχῳ δὲ παρήγγειλαν οἱ τριάκοντα τὸ ὑπ' ἐκεί-

ναν εἰθισμένον παράγγελμα, πίνειν κώνειον, πρὶν τὴν αἰτίαν εἰπεῖν, δι᾽ ἥντινα ἔμελλεν ἀποθανεῖσθαι.

§. VII.

Tertius, quem hac poena Athenis olim ereptum obſeruaui, eſt Socrates, philoſophorum coryphaeus, qui licet non ſub XXX. tyrannis perierit, non multo tamen poſt ueneni potionem mortiferam ex mandato publico hauſit. Nam quemadmodum Socrates Therameni, ad cicutam bibendam quum duceretur a lictoribus, opem ferre inſtituit, ſic et ipſe quatuor annis poſt eodem mortis genere occubuit, quippe qui Olympiadis nonageſimae quintae anno primo expirauit. De quo quidem uiro, qui ab oraculo Delphico omnium appellatus eſt ſapientiſſimus, multa hic dicere ſuperuacaneum foret, quum nemo tam ignarus ſit rerum in philoſophia omnium, qui, quantus hic uir fuerit, ignoret, ac pleni ut de ipſo uiro, ſic et de ipſius obitu ueterum ſint libri. Nam Socratem cicutae potione obiiſſe teſtatur DIOGENES LAERTIVS *Lib. II. ſegm. 42. p. 105*, de eodem locutus, *καὶ δεθεὶς μετ᾽ οὐ πολλὰς ἡμέρας ἔπιε τὸ κώνειον*. Ex Graecis idem tradunt DIODORVS SICVL. *Lib. XIIII. p. 416*. D. AELIANVS *V. H. I, 16*, LVCIANVS *bis accuſato p. 215*. et in primis PLATO et XENOPHON locis paſſim laudandis. Nec Latini in memorando Socratis ex hac uita exceſſu per cicutam Graecis conceſſiſſe quicquam uidentur, dum eius mentionem minime raro fecerunt. Fecerunt, ut quoſdam tantummodo adducamus, id CICERO *Tuſculan. I, 40*. SENECA *epiſtola III, et LXVIII*, nec non *de prouidentia cap. 3*. APVLEIVS *Metamorph. Lib. X. p. m. 192*. Ex his quum certum exploratumque ſit, Socratem cicuta publica interemtum eſſe, cauſſam, quamobrem capitis damnatus ſit, paullo altius repetendam eſſe exiſtimamus. Id eſt in confeſſo, tres Socratis fuiſſe accuſatores, Anytum, Lyconem et Melitum. uid. praeter PLATONEM DIOGENES LAERTIVS *Lib. II. ſegm. 39. p. 103*. et DIODORVS SICVLVS *Lib. XIIII. p. 416*. D. Ipſa uiri innocentiſſimi accuſatio, quam hi aduerſarii et fecerunt, et more Athe-

Athenis recepto iurarunt, uariis uerbis ab antiquis refertur. PLATO *Apolog. Socratis, p.359. E.* eam his uerbis conceptam ſcribit, *Σωκράτης ἀδικεῖ, καὶ περιεργάζεται, ζητῶν τάτε ὑπὸ γῆν καὶ τὰ ἐπουράνια, καὶ τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιῶν, καὶ ἄλλους ταῦτα διδάσκων.* Contra hoc calumniae iusiurandum his uerbis memorat XENOPHON *Memorabil. Lib. I. p. 708. A.* *Αδικεῖ Σωκράτης, οὓς μὲν ἡ πόλις νομίζει θεοὺς, οὐ νομίζων, ἕτερα δὲ καινὰ δαιμόνια εἰσφέρων. ἀδικεῖ δὲ καὶ τοὺς νέους διαφθείρων,* quae ipſa etiam uerba ex Phauorino habet LAERTIVS *Lib. II. ſegm 40. p. 104.* Ad quem auctorum diſſenſum tollendum praeclare hic tenendum eſt ex Platone, duplicem Socratis accuſationem factam eſſe, quarum altera priori, altera poſteriori modo eſt ab aduerſariis iurata, ſi quidem ipſe PLATO poſteriorem iiſdem, quibus Xenophon et alii, uerbis exhibet *d. l. p. 361. G.* Plura et alia ueterum teſtimonia de hac re dabit AEGID. MENAGIVS *ad Diog. Laertium p. 92.* Sed quum ex Xenophonte et Platone, qui ſcriptas Socratis apologias poſteritati reliquerunt, diſcamus, falſam hanc fuiſſe accuſationem, et crimina, quae uiro ſapientiſſimo obiecta fuerunt, conficta, aliam oportet cauſſam, cur damnatus ſit capitis, ſubeſſe. quam ego nullam cenſeo aliam fuiſſe, niſi quod imperio, ut tunc erat, populari infeſtus fuit. Nam quis neſcit, imperia apud ueteres maximam partem ſuperſtitione niti ſolita? Certe TVLLIO teſte *de natura Deorum Lib. I. c. 42.* fuerunt, *qui dixerunt, totam de diis immortalibus opinionem fictam eſſe ab hominibus ſapientibus reipublicae cauſſa, ut, quos ratio non poſſet, eos ad officium religio duceret.* Itaque quando Socrates inſimulatus fuit impietatis aduerſus deos, ipſius aduerſarii hac accuſatione nihil aliud mihi uidentur indicare uoluiſſe, niſi a Socrate reipublicae ſtatum imperiumque ſubuerti. Ideo autem impietatis accuſationem praetuliſſe uidentur, quod plebs, cui res erat probanda, nulla re magis moueri et concitari ſolet, quam ſuperſtitione. Nec huius meae ſententiae nulla plane ueſtigia in ueterum monimentis cernere datur. Sic enim LVCIANVS *de non temere credend. calumn. c. 14. p. 428.* Socratem dicit apud Athenien-

nienſes ὡς ἀσεβῆ καὶ ἐπίβυλον accuſatum eſſe. Has uero, quas ſtruxiſſe Socrates hic memoratur, inſidias paullo dilucidius intelligimus ex LIBANIO *in Apolog. Socratis p. 650. C et D.* ubi inter cauſſas, cur damnatus fuerit, recenſet, Μισόδημός ἐςι καὶ τὺς συνόντας πείθει τῆς δημοκρατίας καταγελᾷν, λόγον συνθεὶς ἀνέγνω τοῖς ἑταίροις κατὰ τῆς δημοκρατίας. Quocirca uerum, ob quod a populo damnatus eſt, crimen fuit, quod maieſtatis reus habebatur, ſtatumque reipublicae, qui tunc popolaris erat, euertere iudicabatur.

§. VIII.

Quodſi uero exempla, quibus hoc ſupplicium omnium primis, quod ſcimus, ſubeundum fuit, paullo attentius ponderamus, et rationes huius poenae ſolicitius conſideramus, ſine ullo negotio intelligimus, cicutam iis poenam fuiſſe irrogatam, qui maieſtatis rei dicebantur, ac praeſentem dominationem, reique publicae ſtatum labefactaſſe credebantur. Equidem de Polemarcho id affirmare non auſim, propterea quod nec accuſatio contra ipſum inſtituta, nec ipſi facultas cauſſam dicendi ſeque defendendi conceſſa fuit. Quod uero ad Theramenem attinet ac Socratem, ex iis, quae paullo ante copioſius dicta ſunt, perſpicuum eſſe cenſeo, eos de hoc in primis ſcelere accuſatos publice fuiſſe, neque alia de cauſſa ulla cicutam bibere coactos, niſi quod contra imperii reique publicae rationem, ut tunc erat, et ſentire et agere ducebantur. Id enim niſi populo perſuaſiſſent accuſatores utriuſque, et falſa hac criminatione odium plebis aliquod utrique conciliaſſent, nunquam, opinor, aduerſariis licitum fuiſſet, uiros, quos populus ſui ſtudioſiſſimos et integerrimos antea cognouerat, morti ſubiicere, cicutaque tollere e medio. Nam quid opus fuiſſet accuſatione in Senatu ſolemni, niſi id ad populum deliniendum eumque de criminibus interficiendorum conuincendum factum fuiſſet? Hac ſane ratione plebem ad necem Socratis decernendam inductam et quaſi ſopitam fuiſſe, uel ex eo manifeſtum eſt, quod ſtatim iniquiſſimae actionis poenitentia ducta eius accuſatores, ne dicta

quidem

quidem cauſſa, capitis ſupplicio affecit. uid. DIODORVS SICVLVS *Lib. XIIII. p. 416. D.* Quoniam ergo in populi erat poteſtate poſitum, poſt mortem uiri integerrimi in eius aduerſarios ſumma acerbitate animaduertere, minori certe opera illum ipſum a uenenata potione liberare et incolumitati uindicare potuiſſet, niſi ipſi perſuaſum fuiſſet, eum maieſtatis reum et ſaluti publicae infeſtum, adeoque dignum eſſe, qui poena publica afficeretur. Accedit, quod cicuta ab primo tempore Athenis publica poena ſancita iis poſtea quoque iniuncta fuit, qui reipublicae pernicioſi et ſalutis patriae euerſores ſeu maieſtatis rei reperiebantur.

§. IX.

Illuſtre nobis hac in re ſpecimen praebet Phocion, qui ad cicutam publicam hauriendam nullam aliam ob cauſſam compulſus fuit in carcere, niſi quod proditionis ſuſpicione tenebatur, et aduerſus populi commoda ſtetiſſe inueniebatur. Satis quidem tralatitio modo exitum ducis non ſpernendi deſcripſit CORNELIVS, quum in eius uita nec mortis genus, quo obiit, nec locum, ubi periit, annotauerit, ſatis ſibi dixiſſe uiſus, ſi generatim eum ad mortem ductum ſignificaret. At vero quanquam Nepoti ſupplicii, quod Phocioni ſubeundum fuit, rationem in acceptis referre minus poſſumus, aliis tamen ſcriptoribus huius rei accuratiorem cognitionem iure meritoque debemus. Nam Phocionem una cum ſociis ſuis cicutae hauſtu in carcere ſuorum, quorum accuſatus eſt, criminum poenas dediſſe ciuibus, ex DIODORO SICVLO tam eſt in aprico poſitum, quam quod maxime. Sic uero ille *Lib. XVIII. p. 663. D.* de ipſo eiusque ſociis, *Τὸ δ' ἔσχατον πανδήμῳ φωνῇ καταχειροτονηθέντες εἰς τὸ δεσμωτήριον ἤγοντο ἐπὶ θανάτῳ*, et paucis uerſibus interiectis, *Διὰ δὲ τῆς τοῦ κωνείου πόσεως κατὰ τὸ πάτριον ἔθος τὸν βίον καταλύσαντες*. cui ſuffragantur PLVTARCHVS et AELIANVS locis mox proferendis. Crimen, quod mortem Phocioni eiuſque aſſeclis accelerauit uiolentam, PLVTARCHVS *in eius uita p. 756.* in proditione conſtitiſſe affirmat. Sed caput totius accuſationis in eo ſitum ex mente DIODORI *d. l. B.* fuit,

fuit, *ὅτι οὗτοι παραίτιοι γεγένηνται μετὰ τὸν Λαμιακὸν πόλεμον, τῆς δὲ δουλείας τῇ πατρίδι, καὶ τῆς καταλύσεως τοῦ δήμου καὶ τῶν νόμων.* CORNELIO *in eius uita cap. 4.* auctore id maxime cicutae ſupplicium Phocioni attulit, *quod aduerſus populi commoda in ſenectute ſtetiſſet.* Quae quum ita ſint, neminem fore exiſtimo, qui dubitet, Phocioni, et eius ſociis propter laeſam maieſtatem, hoc eſt, propter infeſta de re publica ac ſalute patriae conſilia cicutam in cuſtodia publica bibendam fuiſſe. Ceterum quo animo, quaue mentis excelſitate hic uir fuerit, ex iis perſpici poteſt, quae nobis partim PLVTARCHVS, partim AELIANVS de eo iamiam moribundo expoſuerunt. Ille uero ſic *in eius uita p. 758. D.* Ἐπεὶ δὲ Θούδιππος ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ γενόμενος καὶ τὸ κώνειον ὁρῶν τριβόμενον, ἠγανάκτει, καὶ κατέκλαιε τὴν συμφορὰν, ὡς οὐ προσηκόντως τῷ Φωκίωνι συναπολλύμενος, Εἶτα οὐκ ἀγαπᾷς, εἶπεν, ὅτι μετὰ Φωκίωνος ἀποθνήσκεις; hic autem *Var. Hiſt. Lib. XII. c. 49.* Φωκίων, ὁ τοῦ Φώκου, πολλάκις στρατηγήσας κατεγνώσθη θανάτῳ, καὶ ἦν ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ, καὶ ἔμελλε πιεῖσθαι τὸ κώνειον. ἐπεὶ δὲ ὤρεξεν ὁ δήμιος τὸν κύλικα, οἱ προσήκοντες ἤροντο, εἴ τι λέγοι πρὸς τὸν υἱόν; ὁ δὲ, ἐπισκήπτω αὐτῷ, μηδὲν Ἀθηναίοις μνησικακήσειν ὑπὲρ τῆς παρ' αὐτῶν φιλοτησίας, ἧς νῦν πίνω. utrumque hoc etiam repetiit PLVTARCHVS *Apophthegm. Imperat. p. 189. A.*

§. X.

Haec igitur ſunt illa exempla, de quibus diſerte ab auctoribus traditum obſeruaui, iis ſiccum cicutae publice mixtum ſupplicii loco apud Athenienſes hauriendum fuiſſe. quibus tamen multo plures eundem uitae exitum, eandemque ſortem Athenis habuiſſe, qui negaturus ſit, fore puto neminem. Neque enim cum Phocione ſolum alii multi eiusdem, cuius ille, factionis eadem poena interierunt, uerum etiam Crito apud PLATONEM *Phaedon. p. 401. H.* ſe teſtatur et alios uidiſſe ante Socratem, qui coacti fuerint cicutam bibere. Quid? quod longo poſt tempore diuque poſt rem publicam Athenienſium funditus euerſam idem hoc ſupplicii genus adhuc in uſu fuiſſe apud Romanos uidetur. Etenim ſi uera ſunt, quae Graeci de morte

te Iuſtini martyris nobis reliquerunt, cicutae illum potio calixque uenenatus tranſtulit in coelum. Equidem non ſum neſcius, aliud plane mortis genus Patri huic ſapientiſſimo tribui in Actis illis, quae de martyrio huius Juſtini adhuc ſupereſſe feruntur. uid. BARONIVS *ad annum 165. n. 2. p. 150.* et GVIL. CAVE *Antiquit. Patr. Part. I p. 316. ſeq.* Nam in his, quae diximus, actis memoratur, Iuſtino eiusque ſociis numero ſex a Ruſtico, praefecto urbis, denuntiatum fuiſſe, ut uel imperatoris edicto parerent, Diisque ſacrificarent, uel ex praecepto legum flagello caeſi ad capitalem poenam abducerentur, et Iuſtinum imperata a Ruſtico facere nolentem una cum ſodalibus ad conſuetum locum perductum poſt uerbera ſecuri percuſſum eſſe, et in Saluatoris confeſſione martyrium conſummaſſe. At longe aliter huius uiri exitum mortemque referunt Graeci. his enim auctoribus Iuſtinus non ſecuri percuſſus occubuit, ſed cicutae potione ipſis Kalendis Iuniis ex hac uita diſceſſit. Verba, quibus obitus Patris Philoſophi narratur, ita ſe habent *in Menaeis Graecis ad diem menſis Iunii primum*, Εἰς τὴν α' τοῦ Ἰουνίου μνήμη τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ἰουστίνου τοῦ φιλοσόφου.

Ἰουστῖνον κώνειον ἦρεν ἐκ βίου.
Ὡς εἶδε πρῶτον τοὺς πιεῖν δεδωκότας.
Πρώτῃ Ἰουνίου ἐλλεβορίζει Ἰουστῖνον.

Non eſt mihi iam animus, multis inquirere, utrum cicuta, an ſecuri perierit Iuſtinus, praeſertim quum nec Euſebius ullam de mortis genere, quod pertulerit martyr, mentionem faciat, nec me fugiat, per hanc potionem mortiferam ab aliis nihil aliud intelligi, niſi odium acerbiſſimum Creſcentis philoſophi, quo effectum ſit, ut Iuſtinus capitis damnaretur. Contra ea mihi pariter conſtat, acta illa, ex quibus alterum illud mortis genus de Iuſtino affertur et confirmatur, partim ſpuria a uiris doctiſſimis haberi, partim de alio Iuſtino explicari. Sed utcunque iſta ſe habeant, nos ad cicutam noſtram Athenis frequentatam reuertimur.

§. XI.

Poſtquam igitur hactenus dictis ſatis demonſtratum eſſe

putamus, cicutae potionem in maieftatis damnatos publice conftitutam fuiffe apud Athenienfes poenam, iifque irrogatam, qui contra imperium et commoda rei publicae machinari aliquid credebantur, fequitur, ut paucis etiam doceamus, cur non uenenum quodcunque, fed cicutam huic fupplicio elegerint Athenae. Quod quum fieri non poffit aliter, nifi ut de ipfa cicuta, herba, eiufque uiribus agamus, non ab re erit ea, quae hoc in genere apud ueteres mihi obferuata fuerunt, in lucem afpectumque proferre. Ac primum quidem uidebimus, quibus in regionibus cicuta nafci maxime tradatur, et quae dicatur maximarum uirium effe. Eam, quae Sufis, urbe in Parthorum regno nobiliffima, crefcebat, reliquis ueneni acerbitate anteceffiffe auctor eft PLINIVS *H. N. XXV, c. 13. Maxima uis natae*, cicutae, *Sufis Parthorum, mox Laconicae, Creticae, Afiaticae, in Graecia uero Megaricae, deinde Atticae.* Non defuerunt quidem, qui lectionem hoc in loco uulgarem folicitare, eamque corrigere dicam, an peruertere non dubitarunt. Sic enim praeter ceteros uerba Plinii, quae modo attulimus, legenda cenfet PETRVS PETITVS *Mifcellan. Obferuat. p. 48. Maxima uis natae Sufis Parthorum, mox Afiaticae, in Graecia uero Laconicae, Creticae, Megaricae, deinde Atticae.* At non erat profecto, quod Vir doctiffimus receptam lectionem in dubium uocaret, et aliam nobis a mente ipfius Plinii alienam propinaret. Nam ipfe PLINIVS *H. N. IIII, 7.* dicit Laconiam et Cretam ad Graeciam fpeciatim confideratam non pertinere. uid. fi placet, IOANNES HARDVINVS *ad Plinium p. 383.* Deinde de cicuta Sufis enafci folita Plinio patrocinatur THEOPHRASTVS *Hiftor. Plantar. Lib. IX. c. 17.* de reliquis regionibus cicuta fertilibus idem teftatur DIOSCORIDES *Lib. IIII. c. 79.* Cicutam autem inter uenena referendam effe, non folum exempla antea producta confirmant huius potione peremta, uerum auctores etiam id clariffimis uerbis teftantur. Ac ne in afferendis teftimoniis, quae uel ex hac commentatione facili negotio conferri poffunt, nimii fimus, fatis habebimus unum audire PLINIVM,

qui

qui *H. N. XXV, 13. Cicuta,* inquit, *quoque uenenum eſt, publica Athenienſium poena inuiſa.* Sed tantum abeſt, ut haec herba omnibus animalibus mortem afferat, ut nonnullis cibum ſuppeditet maxime conuenientem. Teſtis eſt LVCRETIVS, ſues cicuta non enecari, ſed pingueſcere ſolere, quando *Lib. V. uerſ. 902. ſeq.*

Quippe uidere licet pingueſcere ſaepe cicuta
Barbigeras pecudes, homini quae eſt acre uenenum.

Id ipſum etiam cognoſcere datur ex AELIANO *de Animal. Hiſtor. Lib. IIII. c. 23.* Eadem ratione a ſturnis cicuta ſine ullo detrimento aut periculo uitae deuoratur. cuius rei teſtimonium ſatis aſſiduum perhibet GALENVS *de ſimplic. medic. uiribus Lib. III. c. 18. p. 78. C. edit. Pariſ.* Ουτως οὖν τὸ κώνειον ἄνθρωπον μὲν ἀναιρεῖ τῆτε τῶν πόρων εὐρύτητι καὶ τῷ πλήθει τῆς θερμότητος καὶ τῇ ῥύμῃ τῆς τῶν ἀρτηριῶν ὁλκῆς, ἰσχυρὸν ἔτι πρὸς τὴν καρδίαν ἀφικνούμενον. οὐκ ἀναιρεῖ δὲ τοὺς ψάρας ἐπὶ τοῖς ἐναντίοις αἰτίοις. E contrario haec ipſa herba nocet oloribus, teſte AELIANO *Hiſtor. Animal. Lib. III. c. 7.* Hominibus cicutam uitae periculum afferre et uenenum eſſe praeter ipſa exempla affirmat PLINIVS *H. N. XIIII. c. 5. Sicut cicuta homini uenenum eſt, ſic cicutae uinum.* Idem ex Lucretii et Galeni locis iam nunc prolatis ipſa luce clarius eſt. accedunt AELIANVS *d. l.* DIOSCORIDES *Lib. IIII. c. 79.* alii.

§. XII.

Cicutam uero in genere uenenorum non uehemens eſſe, neque toto, quod aiunt, genere uenenum, quae ſunt uerba PETR. PETITI *d. l. p. 48.* uariis confirmatum exemplis apud ueteres reperimus. Luculentiſſimo huic rei eſt documento anus illa Attica, quae a minima cicutae portione auſpicata, paullatimque ad maiorem copiam progreſſa, hac ratione mandendae eius conſuetudinem ſibi fecerat. qua de re GALENVS *d. l. p. 78. E.* Καὶ τὸ κώνειον ἄνθρωπον μὲν ἀναιρεῖ τῷ φθάνειν. ψάρας δὲ τρέφει τῷ βραδύνειν. ἀναιρήσει δὲ οὐδὲ ἄνθρωπον, ἂν ὀλίγον ληφθείη. καὶ τοῦτο καὶ ἡ Αττικὴ γραῦς ἔδειξεν, ἣς ἅπαντες μνημονεύουσιν, ἀπ᾽ ἐλαχίστου μὲν ἀρξαμένη κωνείου, προελθοῦσα δὲ ἀλύπως ἐπὶ πλῆθος ἱκανόν. ἐξ ἀρχῆς μὲν γὰρ

ἐνικήθη τὸ βραχὺ δι' αὐτὴν τὴν ὀλιγότητα, τῷ δὲ ἐθισμῷ σύμφυτον ἐγένετο. Idem etiam ſuo exemplo docuit Seneca, qui teſte TACITO *Ann. Lib. XV. c. 64.* durante tractu et lentitudine mortis Statium Annaeum diu ſibi amicitiae fide et arte medicinae probatum orauit, ut prouiſum pridem uenenum, quo damnati publico Athenienſium iudicio extinguerentur, promeret, allatumque hauſit fruſtra frigidis iam artubus et clauſo corpore aduerſum uim ueneni. Quid? quod nonnulli uel publice damnati apud Athenienſes cicutam quandoque bis, quandoque ter bibere coacti ſunt, prout ex PLATONE *Phaed. p. 378. A.* intelligi poteſt. Multum autem ad uires cicutae letales conferre ipſa loca, in quibus reperitur et naſcitur, ex §. ſuperiori XI. iam patet. Sic in Italia cicutam non adeo exitialem eſſe ex MATTHAEOLO *ad Dioſcoridem Lib. IIII. c. 74.* et *Lib. VI. c. 11.* diſcimus, ubi uaria affert exempla eorum, qui a cicuta uel pota uel in cibis ſumta praeter amentiam ac furorem nihil paſſi fuerunt, ab ipſo Matthaeolo priſtinae mentis ſanitati reſtituti. Hinc etiam FORTVN. LICETVS *antiq. Schemat. gemm. annular. p. 421.* negat cicutam Italico uel Gallicano ſolo natam ſucco ſuo mortem afferre poſſe. De hac igitur cicuta, quae letalis non conſueuit eſſe, intelligendus uidetur HORATIVS *Epod. III. 3.*

Edat cicutis allium nocentius,

et PLINIVS *H. N. XXV, 13.* quando cicutam ſcribit uiridem in patinis edi. Sine dubio quoque eiuſmodi cicutam, quae frigore ſuo non extinguit homines, reſpexit GALENVS, dum *in libro, quod mores animi temperamenta corporis ſequantur, cap. 3. p. 447. C. ed. Pariſ.* Ἡ μὲν, inquit, τοῦ αἵματος κένωσις καὶ ἡ τοῦ κωνείου πόσις καταψύχουσι τὸ σῶμα.

§. XIII.

Virus cicutae non acerrimum eſſe, exinde quoque, opinor, perſpicitur, quod uariae res eidem mederi ab antiquis dicuntur. Nam *ſicut cicuta homini uenenum eſt, ſic cicutae uinum,* ſcribit PLINIVS *H. N. XIIII. c. 5.* Idem *Lib. XXV. c. 13. Remedio eſt cicutae, priusquam perueniatur ad*

uita-

uitalia, uini natura excalfactoria. Plinio iam praeiuit DIOSCORIDES *Lib. IIII. c. 79.* Ἐστι δὲ καὶ αὐτὸ, κώνειον, τῶν φθαρτικῶν κατὰ ψύξιν ἀναιρεῖν. βοηθεῖται δὲ ἀκράτῳ. Non possum mihi temperare, quin hic exhibeam illustrem hac de re locum, qui legitur in PLVTARCHO *Symposiac. Lib. III. quaest. V. p. 653. A.* Ἐὰν δὲ, ὅτι τὸ κώνειον ἐπιπινόμενος ἰάσασθαι δοκεῖ πολὺς ἄκρατος, οἴονται τοῦτο θερμότητος εἶναι τεκμήριον, ἡμεῖς αὖ φήσομεν ἀναστρέψαντες, ὅτι συγκραθὲν αὐτὸ τοῦτο φάρμακον ἀνίατόν ἐστι, καὶ καθάπαξ ἀποκτείνει τοὺς πίνοντας. ὥστε μηδὲν μᾶλλον εἶναι δοκεῖν τῷ ἀντιπράττειν θερμὸν, ἢ τῷ συνεργεῖν ψυχρόν. εἰ δὲ μὴ, ψυχρότητι τὸ κώνειον, οὐκ ἄλλῃ τινὶ φύσει καὶ δυνάμει μᾶλλον δεινόν ἐστιν ἀναιρεῖν τοὺς πιόντας. Experientia id magistra didicisse uidentur sacrilegi, qui Lacedaemone Mineruae Chalcioeci templum compilaturi cicutam biberant, eius uenenum autem epoto mero diluerant. Ita enim de his hominibus perditissimis PLVTARCHVS *de garrulitate p. 509. D.* Ἐν Λακεδαίμονι τῆς χαλκιοίκου τὸ ἱερὸν ὤφθη σεσυλημένον, καὶ κειμένη ἔνδον κενὴ λάγυνος. ἦν οὖν ἀπορία πολλῶν συνδεδραμηκότων. καί τις τῶν παρόντων, εἰ βούλεσθε, εἶπεν, ἐγὼ φράσω ὑμῖν, ὅ μοι περίσταται περὶ τῆς λαγύνου. νομίζω γὰρ, ἔφη, τοὺς ἱεροσύλους ἐπὶ τηλικοῦτον ἐλθεῖν κίνδυνον κώνειον ἐμπιόντας καὶ κομίζοντας οἶνον, ἵνα, εἰ μὲν αὐτοῖς λαθεῖν ἐγγένοιτο, τῷ ἀκράτῳ ποθέντι σβέσαντες καὶ διαλύσαντες τὸ φάρμακον ἀπέλθοιεν ἀσφαλῶς. εἰ δ᾽ ἁλίσκοιντο, πρὸ τῶν βασάνων ὑπὸ τοῦ φαρμάκου ῥαδίως καὶ ἀνωδύνως ἀποθάνοιεν. Sicuti uero cicutae haustae uinum resistit, eiusque uim, quo minus mortem conciliet, retundit, sic e contrario ipsa cicuta ad uinum largius bibendum conducere, et ob hanc ipsam caussam praesumta esse ab heluonibus refertur. PLINIVS *H. N. XIIII, 22. Ac bibendi caussa etiam uenena conficiuntur, aliis cicutam praesumentibus, ut bibere mors cogat, aliis pumicis farinam.*

§. XIIII.

Neque tamen uinum solum cicutae uires ad interficiendum ineptas reddit et inertes, sed et aliis rebus eadem uirtus inesse dicitur. *Nulli dubitamus*, inquit OLAVS BORRICHIVS *in dissert. de uenenis p. m. 215. periculo a cicutae*

 lar-

largiori dosi orienti conuenienter occurri posse et protelari interitum haustu rutae, gentianae, amomi, castorei, myrrhidis, piperis. uid. NICANDER *Alexipharm. p. 142.* edit. Paris. ex quo et PLINIVS H.N.XXII. 13. affert, urticae semen cicutae contrarium esse. Interim cicutae, quod affirmauit Borrichius, rutam remedio esse, non tantum PLINIVS XX, 13. docet, uerum etiam ATHENAEVS *Deipnos. Lib. III. c. 7. p. 85. A.* ex Theopompo annotauit, Heracleotas se contra uim cicutae ruta muniuisse. Εἰ τις τούτοις ἀπιστεῖ, inquit, μαθέτω καὶ παρὰ Θεοπόμπου τοῦ Χίου, ἀνδρὸς φιλαλήθους καὶ πολλὰ χρήματα καταναλώσαντος εἰς τὴν περὶ τῆς ἱστορίας ἐξέτασιν ἀκριβῆ. φησὶ γὰρ οὗτος ἐν τῇ ὀγδόῃ καὶ τριακοστῇ τῶν ἱστοριῶν περὶ Κλεάρχου διηγούμενος τοῦ Ἡρακλεώτου, τῶν ἐν τῷ Πόντῳ τυράννου, ὡς βιαίως ἀνήρει πολλούς. καὶ ὡς τοῖς πλείστοις ἐδίδου κώνειον πιεῖν. ἐπειδὴ οὖν, φησὶ, πάντες ἔγνωσαν τὴν τοῦ φαρμάκου ταύτην φιλοτησίαν, οὐ προήεσαν τῶν οἰκιῶν, πρὶν φαγεῖν πήγανον. τοῦτο γὰρ τοὺς προφαγόντας μηδὲν πάσχειν πίνοντας τὸ ἀκόνιτον. Quo quidem in loco HIERONYMVS MERCVRIALIS, *Lib. III. Var. Lection. cap. 4 p. 58.* nomen *κώνειον* corrigendum putat per *ἀκόνιτον*, propterea quod ANTIGONVS *in Collectaneis paradoxis* eandem rem memorans nullam mentionem fecit τοῦ *κωνείου*, sed tantum aconitum nominauit. Sed prout ipse Vir. doctissimus eatenus Antigonum ex Athenaeo emendandum censet, qua pro Clearcho habet Agatharchus, sic caussam uideo nullam, cur, quod ad nomen *κώνειον* attinet, hic ex illo corrigendus sit. Nam primum cicutae rutam resistere iam probauimus. deinde ab Athenaeo *ἀκόνιτον* et *κώνειον* pro uno eodemque sumtum esse ex STEPHANO licet cognoscere, qui *de urbibus V.* Ἀκόναι, hunc ipsum Athenaei locum referens, Λέγεται καὶ ἀκόνιτον, inquit, δηλητήριον φάρμακον, ὡς Ἀθηναῖος ἐν τῷ τρίτῳ Δειπνοσοφιστῶν, ἱστορῶν, τοὺς προφαγόντας τὸ πήγανον μηδὲν πάσχοντας ἐκ τοῦ κωνείου. uid. ISAACVS CASAVBONVS *ad Athenaeum p. 164.* Ipse Mercurialis ab hac sententia non uidetur admodum abhorruisse, dum dicto loco sic ait, *Vt uulgo hodie toxici nomine genus ueneni quoduis significamus, sic forte et cicutam et aco-*

aconitum ueteres indifferenter usurparunt, quando scilicet uenenum et non plantarum genus diuersum erat significandum. simulque obseruat Arabes κώνειον et ἀκόνιτον forsan idem putantes sturnos aconito uesci tradidisse, quum non aconito, sed cicuta eos nutriri Galenus et alii tradant. uid. §. XI. Mihi certe dubium non uidetur, quin cicuta pro aconito et hoc pro illa apud ueteres nonnunquam fuerit collocata. Nam cum illud iam ex Athenaei et Stephani locis apparet, tum idem ex MACROBIO ipsa luce illustrius est, qui *Saturnal. Lib. VII. c. 6. p. m. 541.* uinum natura frigidum esse probaturus, *Dabo aliud,* inquit, *indicium accidentis magis uino, quam ingeniti caloris. nam si quis aconitum nesciens hauserit, non nego haustu eum meri plurimi solere curari. infusum enim uisceribus trahit ad se calorem et ueneno frigido quasi calidum iam repugnat. si uero aconitum ipsum cum uino tritum potui datum sit, haurientem nulla curatio a morte defendit.* Nam quis haec legendo, uel me tacente, non intelligit, Macrobium hic non tam respexisse, quam expressisse PLVTARCHI locum, quem §. XIII. *ex Symposi Lib. III. quaest. V. p. 653.* produximus. Atqui quum, quae Plutarchus de cicuta memorat, haec ipsa Macrobius de aconito dicat, perspicuum est, aconitum et cicutam interdum promiscue usurpatam. ut taceam, ea, quae aconito tribuit Macrobius, cicutae conuenire omnia ex § superiori XIII. His iungi poterit IOACHIM. KVHNIVS *ad Aeliani V. H. III. 37. p. 294.* vbi docet ἀκονίζεσθαι idem sonare, quod κωνιάζεσθαι.

§. XV.

Quamobrem quia pro aconito quandoque reperitur cicuta posita, lucem fortasse accipit locus HORATII, qui interpretum ingenia mirandum in modum exercuit. Habetur ille *Lib. II. Epist. II. uers. 52. seq.*

Sed quod non desit, habentem
Quae poterunt unquam satis expurgare cicutae.

Quum enim cicuta nulla ualeat facultate purgandi ex sententia medicorum, uid. GVIDO PATINVS, medicus Parisiensis,

ſienſis, apud LICETVM loco ſaepius iam laudato p.412.eandem tamen hoc in loco ei tribuat poeta,uariis modis mentem Venuſini uatis explicare ſtuduerunt, qui in eum commentati ſunt. Plerique Acronem, ueterem Horatii interpretem, ſecuti cicutam hic pro helleboro adhibitam eſſe contendunt. DIONYS. LAMBINVS mauult hoc nomine ſignificari cucurbitas, quae corporibus admouentur, ad uitioſum ſanguinem eliciendum, uel loco cicutae legendum putat, *Sicyiae*, quae uox Graeca eſt Gallis et Graecis medicis uſitata, qua id intelligunt, quod Latini cucurbitas appellant. ADRIANVS TVRNEBVS *aduerſar. Lib. I. c. 8.* Horatium hic cenſet cicutas poſuiſſe uel pro herbis medicatis et purgantibus, in quibus ſingulis uiroſus ſuccus ineſt ac deleterio medicamento proximus, uel reſpectu ad ferulaceos et cicutis ſimiles hellebori caules, cicutas dixiſſe, ut intelligamus, ex caulium hellebori cicutis helleborum cicutam ad medicamentorum infamiam uocaſſe, aut uenenatam medicamenti ſpeciem pro ſalutari iOculariter poſuiſſe. Turnebo aliqua ex parte adſtipulatur CL. SALMASIVS *ad Solinum p. 742.* dum in hoc poetae loco per cicutam intelligi uult quamlibet cannam intus cauam et inanem. FORTVN. LICETVS *d. l. p. 415.* Horatium non agere medicum hic loci credit, ut de cicutae planta purgante corpus humoribus prauis agere debuerit, ſed poetam de cicuta muſice canora, uel proprie fiſtulam harmonicam intelligentem, uel per metalepſin ſignantem ipſam poeſin. At quamuis tantis Viris meliorem aliquam ac ueritatis ſpecie ſe efficacius commendantem explicationem in ſcenam producere, per quam arduum, paene dixerim, temerarium uideatur, neminem tamen tam iniquum fore confido rerum aeſtimatorem, qui uitio mihi daturus ſit, ſi ſaluis ſummorum hominum cogitatis meam qualemcunque de loco obſcuriſſimo coniecturam iuſſero in lucem prodire. Probatum eſt §. ſuperiori, cicutam et aconitum promiſcue uſurpari ſolita. quod ut loco, de quo agimus, Horatiano applicari poſſe exiſtimem, eo adducor, quod aconitum facultatem purgandi tantam habere dicitur, ut

eua-

euacuatione homines occidat. Tradit id uerbis disertissimis IVLIVS POLLVX *Lib. V. segm. 132. p. 547.* Οἱ δὲ καὶ τὰ ἐλατήρια φάρμακα ἐπὶ τέτε τάττεσιν, ὡς διὰ κενώσεως ἀναιρεῦντα, ὥσπερ τὸ ἀκόνιτον καὶ τὸ ἐλλέβορον. τὸ γὰρ κώνειον κατὰ ψύξιν ἀναιρεῖ, ὥσπερ ὁ μανδραγόρας κατὰ καρηβαρίαν. Sententiam uero Horatii in uersu adducto hanc arbitror esse, *Hominem auarum nullum unquam medicamentum, quod uel summam maximamque purgandi uim ac potestatem habet, sanum reddet, ut plura habendi exuat cupiditatem.*

§. XVI.

Venenum non uehemens cicutam esse cum clarum sit ex iis, quae a nobis commemorata hactenus fuerunt, tum eandem efficere tranquillissimum et ab omni doloris sensu remotissimum ex hac uita discessum nemo facile negabit, nisi qui nihil unquam hac de re legit in ueterum monimentis. Etenim quando Thrasyas Mantinensis gloriabatur, tale a se medicamentum excogitatum esse, quod facilem et omni dolore uacuum obitum praestaret, cicutam in primis ad conficiendum illud uoluit adhiberi. qua de re THEOPHRASTVS *Histor. Plantar. Lib. IX. c. 17.* Θρασύας δὲ ὁ Μαντεὺς εὑρηκέναι τι τοιοῦτον ἔλεγεν, ὥςε ῥαδίαν ποιεῖν. καὶ ἄπονον τὴν ἀπόλυσιν, τοῖς ὀποῖς χρώμενος κωνείε τε καὶ μήκωνος καὶ ἑτέρων τοιέτων. Cicutam ergo potam, uerba sunt SCRIBONII LARGI *compofit. medic. c. 179.* caligo mentisque alienatio et artuum gelatio insequitur, ultimoque praefocantur, qui eam sumserunt, nihilque sentiunt. Qua de caussa Socratem facillimo mortis genere defunctum praedicat XENOPHON. *Apolog. Socrat. p. 707. C.* de eo scribens, Τε μὲν γὰρ βίε τὸ χαλεπώτατον ἀπέλιπε. τῶν δὲ θανάτων τε ῥᾴςε ἔτυχεν. Vnde inuidus iste se deferens apud LIBANIVM *Declamat. VIII. p. 323. A.* Τὴν διὰ κωνείε προστίθησι τελευτὴν τῆς ἐκ τε λυπεῖσθαι συμβησομένης. Praeterea ipsum necandi modum, quo cicuta utitur in potoribus suis, pensitanti altius unicuique fiet manifestum, hanc moriendi rationem cum nullo fere doloris sensu coniunctam esse. Nam si

ſi uerum eſt, quod auctores ſatis aſſidui teſtantur, cicutam frigore ſuo calorem in corpore humano ſenſim exſtinguere, et ſanguine ſpiſſando homines necare, per ſe patet, omnem fere acerbitatem ab hac diſſolutione corporis et animae exulare. Elegantiſſime haec deſcribit NICANDER. *Alexipharm. p.140.*

Καὶ τέ συ κωνείου βλαβόεν τεκμήρεο πῶμα,
Κεῖνο ποτὸν δὴ γάρ τε καρήατι φοινὸν ἰάπτει,
Νύκτα φέρον σκοτόεσσαν, ἐδίνησεν δὲ καὶ ὄσσε,
Ιχνεσι δὲ σφαλεροί τε καὶ ἐμπάζοντες ἀγυιαῖς
Χερσὶν ἐφερπύζουσι. κακὸς δ᾽ ὑπὸ νείατα πνιγμὸς
Ισθμια καὶ φάρυγος στεινὴν ἐμφράσσεται οἶμον,
Ακρα δὲ τοι ψύχει.

Sic uero uim ſuam letalem in corpore humano pota cicuta exerit, ut a pedibus progrediatur ad praecordia. unde de illa ARISTOPHANES *Ran. uerſ.125.*

Εὐθὺς γὰρ ἀποπνήγουσι τἀντικνήμια.

ubi SCHOLIA ita p. 125. Ἀπὸ τῶν ποδῶν οὗτος ὁ θάνατος ἄρχεται, πρώτους αὐτοὺς καταψύχων ὡς τοῦ ζωτικοῦ αἵματος περὶ τὴν καρδίαν συστελλομένου. Exemplum huius rei illuſtriſſimum nobis ſuppeditat mors Socratis, quam ſic deſcribit PLATO *Phaedon p.102. D.* Ο δὲ περιελθὼν, Σωκράτης, ἐπειδὴ οἱ βαρύνεσθαι ἔφη τὰ σκέλη, κατεκλίθη ὕπτιος. οὕτω γὰρ ἐκέλευσεν ὁ ἄνθρωπος. καὶ ἅμα ἐφαπτόμενος αὐτοῦ οὗτος ὁ δοὺς τὸ φάρμακον, διαλιπὼν χρόνον ἐπεσκόπει τοὺς πόδας καὶ τὰ σκέλη· κἄπειτα σφόδρα πιέσας αὐτοῦ τὸν πόδα, ἤρετο, εἰ αἰσθάνοιτο. ὁ δ᾽ οὐκ ἔφη. καὶ μετὰ τοῦτο αὖθις τὰς κνήμας, καὶ ἐπανιὼν οὕτος ἡμῖν ἐπεδείκνυτο, ὅτι ψύχοιτό τε καὶ πήγνυτο. καὶ αὐτὸς ἥπτετο καὶ εἶπεν, ὅτι ἐπειδὰν πρὸς τῇ καρδίᾳ γένηται αὐτῷ, τότε οἰχήσεται. ἤδη οὖν σχεδόν τι αὐτοῦ ἦν περὶ τὸ ἦτρον ψυχόμενον κ. τ. λ.

§. XVII.

Atque hanc cicutae uirtutem, qua calorem in nobis ui frigoris ſui extinguit, ii quoque agnouiſſe cenſendi ſunt, qui ea uſi ſunt ad libidinem ueneremque reprimendam. Tangit haec DIOSCORIDES *Lib. IIII. c. 79.* quando eo referente, ἡ πόα τοῦ κωνείου καὶ ἡ κόμη λεία καταπλαττομένη τῶν διδύμων

διδύμων ὀνειρώττουσι βοηθεῖ. παρίησι δὲ καὶ αἰδοῖα καταπλασθέντα. cui addatur PLINIVS *H. N. XXV. c. 13.* Fecerunt id apud antiquos ſacerdotes Cereris Eleuſiniae, ſi uera ſunt, quae tradit SCHOLIASTES *Perſii Satyr. V. 145. Cicuta calorem in nobis frigoris ſui ui extinguit. unde ſacerdotes Cereris Eleuſiniae liquore eius ungebantur, ut a concubitu abſtineant.* Cui ſententiae accedit teſtimonium HIERONYMI, qui *Lib. I. aduerſus Iouianum p. 191.* edit. Bened. teſtatur *Hierophantas quoque Athenienſium usque hodie cicutae ſorbitione caſtrari, et poſtquam in Pontificatum fuerint allecti, uiros eſſe deſinere.* uid. PETRVS HENDREICH *Maſſiliae Sect. II. p. 2960. Tom. VI. Gron.* Porro facili poteſt negotio ab unoquoque intelligi, qui factum ſit, ut multi antiquis temporibus cicuta mortem ſibi conſciuerint, eamque ſua ſponte hauſerint. Quum enim probe cognitum haberent perſpectumque, cicutae ſorbitione et facillimam mortem hominibus et celerrimam contingere ſolere, nulla ſibi ratione uiſi ſunt melius de uitae ſtatione iniuſſu imperatoris ſummi decedere poſſe, quam ſi hauſta cicuta ad mortem ruerent uoluntariam. Qua quidem ratione iam olim ſibi uiolentas manus intuliſſe fertur Stenobaea, Proeti uxor. Nam dum illa Bellerophontem deperibat, nec ab ipſo uoti damnabatur, coniugi perſuadet ſe ab ipſo ultro compellatam eſſe. quare iſte ad Iobatem, patrem Stenobaeae, miſſus ad interficiendam Chimaeram ablegatur. quum uero Bellerophonti ab immani beſtia ope Pegaſi proſtrata reduci rex alteram filiam in matrimonium dediſſet, Stenobaea hac re audita ipſa ſe cicuta uſa interfecit. SCHOLIA *Ariſtophanis Ran. uerſ. 1075. p. 156.* *Σθενόβεια δὲ, ἣν Ομηρος Αντειαν, ἥτις ἠράσθη τοῦ Βελλεροφόντου, οὗ μὴ ὑπακούοντος κατεψεύσατο πρὸς τὸν ἴδιον ἄνδρα Προῖτον ὡς βιαζομένη. καὶ ὃς ἔπεμψε τοῦτον εἰς τὸν πενθερὸν αὐτοῦ ἀναιρεθησόμενον. ἐλθόντος οὖν ἐκεῖσε Βελλεροφόντου καὶ καθαροῦ φανέντος μὴ φέρουσα τὴν αἰσχύνην ἡ Σθενόβεια, κωνείῳ ἐχρήσατο.* uid. ſi placet HYGINVS *fabul. LVII. p. 103.* De Seneca idem tentante quoniam ſupra iam dictum eſt; hic nihil attinet quaedam commemorare, aeque ac

de facrilegis et templi Mineruae compilatoribus fupra iam adductis. Simile quid nobis perfuadere uoluit de nobiliffima prodigorum triga Pericle, Callia et Nicia AELIANVS, qui abfumtis per intemperantiam luxumque facultatibus ad incitas redacti cicutam fibi mutuo propinauerint, et hoc potu finem feciffent uitae fuae. Locus eft *V. H. Lib. IIII. c. 23.* ubi ita, Ὅτι Περικλέα καὶ Καλλίαν τὸν Ἱππονίκου καὶ Νικίαν τὸν Περγασῆθεν τὸ ἀσωτεύεσθαι, καὶ ὁ πρὸς ἡδονὴν βίος εἰς ἀπορίαν περιέστησεν. ἐπεὶ γὰρ ἐπέλιπε τὰ χρήματα αὐτοῖς, οἱ τρεῖς κώνειον τελευταίαν πρόποσιν ἀλλήλοις προπιόντες, ὥσπερ οὖν ἐκ συμποσίου ἀνέλυσαν. Sed grauiffime hic Sophiftam memoria lapfum, et eorum, quae ex Athenaeo forfan hauferat, oblitum fuiffe, praeter SCHEFFERVM in doctiffimis fuis ad hunc locum obferuationibus docuit IACOBVS PERIZONIVS *p. 384. edit. Gron.* Nam quae Athenaeus de Nicia eiufque amicis confignauit litteris, ea Aelianus ad Periclem et Calliam fimul tranftulit, quia in antecedentibus eorum facta erat ab Athenaeo mentio. neque enim de Pericle et Callia eiufmodi quid a quoquam traditum reperitur. Ceterum de Nicia agit ATHENAEVS *Lib. XII. c. 9.* Neque aliunde mihi origo confuetudinis apud Ceos, qua fenes ad officia patriae praeftanda inepti cicutam bibere folebant, arceffenda uidetur, nifi ab eo, quod cicutae potio exitum uitae conciliat faciliorem. Afferuauit nobis huius confuetudinis memoriam et ad nos transmifit AELIANVS *V. H. III 37.* Νόμος ἐστὶ Κείων, οἱ πάνυ παρ' αὐτοῖς γεγηρακότες ὥσπερ ἐπὶ ξενίᾳ παρακαλοῦντες ἑαυτοὺς, ἢ ἐπί τινα ἑορταστικὴν θυσίαν ἀνελθόντες, καὶ στεφανωσάμενοι πίνουσι κώνειον, ὅταν ἑαυτοῖς συνειδῶσιν, ὅτι πρὸς τὰ ἔργα τὰ τῇ πατρίδι λυσιτελοῦντα ἀχρηστοί εἰσιν, ὑποληρούσης ἤδη τι αὐτοῖς καὶ τῆς γνώμης διὰ τὸν χρόνον. ad quem locum uid. SCHEFFERVS et KVHNIVS *p. 294.* Conftanti animo hanc mortem fubibant fenes, quemadmodum id fuo docuit exemplo nobiliffima apud Ceos matrona, quam ipfe VALERIVS MAXIMVS *Lib. II. c. 6. n. 8.* uidit hoc pacto diem obire fupremum. Ab his Ceis idem inftitutum eandemque confuetudinem acceperunt Maffilienfes, de quibus

lau-

laudatus VALERIVS *d. l. n. 7. Venenum cicuta temperatum in ea ciuitate publice custoditur, quod datur ei, qui caussas sexcentis, id enim Senatus eius nomen est, exhibuit, propter quas mors sit illi expetenda, cognitione uirili beneuolentia temperata, quae nec egredi uita temere patitur, et sapienter excedere cupienti celerem fati uiam praebet.* Immerito autem hanc ex uita discedendi rationem inter poenas retulisse uidetur LICETVS *d. l. p. 419.* et IOANNES HARDVINVS *ad Plinii Hist. Nat. p. 383.* quum sua sponte cicutam biberent uitae taedio adducti. Id ipsum liquido constat ex LIBANIO, apud quem *Declamat. XI. p. 377. B.* parasitus ideo sibi ἐπὶ τὸ κώνειον βαδιϛέον censet, quia genius quidam inuiderat ipsi cibum, atque occasionem uitae uoluptariae surripuerat. et *Declamat. X. p. 361. C.* auarus postulat cicutae potionem, propterea quod drachmarum quingentarum thesauro inuento mille ab eo peterentur. Denique ex *Declamat. VIII. p. 323. B.* id clarissime elucet, ubi non solum inuidus postulat cicutam, quoniam uicinus repente factus erat locuples, sed et perspicuis uerbis dicitur, τὸ ἐκ τȣ̃ νόμȣ κώνειον τοῖς πράττȣσι κακῶς ὑμῶν διδόντων. Nec alia de caussa cicutae haustu utebantur Chii, quam quod hoc modo obitus euaderet celer facilisque. THEOPHRASTVS *Hist. Plant Lib. IX. c. 17* Επεὶ καὶ Χῖȣς φασὶ τῷ κωνείῳ πρότερον ȣ̓χ ȣ̔́τως, ἀλλὰ τρίβοντας, καθάπερ οἱ ἄλλοι, χρῆσθαι· νῦν δὲ ȣ̓δ᾽ ἂν εἰς τρίψειεν, ἀλλὰ περιττήσαντες καὶ ἀφελόντες τὸ κέλυφος μετὰ ταῦτα κόπτȣσιν ἐν τῷ ὅλμῳ, καὶ διαπτήσαντες λεπτὰ ἐπιπάττοντες ἐφ᾽ ὕδωρ πίνȣσιν, ὥϛε ταχεῖαν καὶ ἐλαφρὰν γίνεσθαι τὴν ἀπαλλαγήν.

§. XVIII.

His ita ueluti praemissis non est difficile coniectu, cur cicutam maxime in puniendis maiestatis damnatis adhibuerint Athenienses. Nam eiusmodi supplicio principes in primis, id quod ex allatis constat exemplis, uirique amplissimi afficiebantur. quos licet e medio sublatos etiam atque etiam uellent, nolebant tamen multis cruciatibus ac doloribus coniuncta animaduersione in iis perimendis uti. Itaque quasi ratione auctoritatis eorum dignitatisque, quam

obli-

obtinuerant uiui, habita fupplicium ipfis capitale quidem, at facile tamen et a turpitudine atque acerbitate poenarum, quibus alia in re publica fcelera coercebantur, remotum infligere cupiebant. Quum uero ufu ueluti edocti fcirent, cicutam non folum uenenum non uehemens effe, fed et celerem mortem facilemque maturare, ea fibi in uiros honeftiffimos nobiliffimosque animaduertendum duxerunt, ut ne grauiore mortis genere uita decederent, quam fi ipfi mortem fibi confciuiffent. Vnde fatis accurate IOANNES RHODIVS *ad Scribonium Largum p. 256.* coniectatur, cicutam mitioris poenae loco habitam. Etenim honeftam quafi et reliquis mitiorem fuiffe hanc poenam publicam per cicutae hauftum iniunctam, ex eo mihi non incommode uideor colligere poffe, quod cicuta interemti publica non in eundem, in quem reliqui fontes publice interfecti, locum feralem a miniftro publico abiiciebantur, fed amicis concedebantur pro arbitrio fepeliendi. uid. §. XXVI. Deinde ab illis, qui cicuta peribant, fupplicium non in publico, et in confpectu multitudinis, fed in carcere tantummodo fumebatur. Sed quemadmodum hoc multis teftimoniis, non eft neceffe, probetur, quum id omnia, quae fupra affuerunt exempla demonftrent, fic operae pretium nobis facturi uidemur, fi de ipfo carcere quaedam obferuauerimus.

§. XIX.

Tria fuerunt genera carcerum apud Athenienfes, unum iis deftinatum, qui, ne fugerent, cuftodiebantur, alterum illis dicatum, quorum mores corrigendi erant, tertium uero illis affignatum, qui ad mortem dabantur. Res eft in aprico ex PLATONE *Lib. X. de legib. p. 673. G.* Δεσμωτηρίων δὲ ὄντων ἐν τῇ πόλει τριῶν, ἑνὸς μὲν κοινοῦ τοῖς πλείστοις, περὶ ἀγοράν, σωτηρίας ἕνεκα τοῖς πολλοῖς τῶν σωμάτων. ἑνὸς δὲ περὶ τὸν τῶν νύκτωρ συλλεγομένων ξύλλογον, σωφρονιστήριον ἐπονομαζόμενον, ἑνὸς δ᾽ αὖ κατὰ μέσην τὴν χώραν, ὅπηπερ ἂν ἔρημός τε καὶ ὡς ὅτι μάλιστα ἀγριότατος ᾖ τόπος, τιμωρίας ἔχων ἐπωνυμίαν φήμην τινά. Atque in ultimo horum carcerum cicutam a damnatis hauftam fuiffe uero uidetur per quam fimile, tum,

quod

quod in reliquis duobus locus non fuit capitis ſupplicio afficiendis, tum uero, quod ipſum nomen huic carceri impoſitum id prae ſe ferre et indicare uidetur. Cura horum carcerum demandata erat uiris, qui uocabantur, undecim. SCHOLIA *ad Demoſthenis Androtianam p. 1441.* Διορίςως ἄρχοντας ἐκάλεν τὴν ἀρχὴν τῶν δεσμοφυλάκων. αὕτη δὲ ἦν τὸν ἀριθμὸν ια ἀνδρῶν. His undecim uiris capitis damnati a iudicibus tradebantur ad ſupplicium. Quocirca ab HESYCHIO ἕνδεκα uocantur ἄρχοντες, οἷς παρεδίδοντο οἱ θανάτῳ καταδικασθέντες. nam a iudicibus diuerſos fuiſſe hos undecim uiros docet ARISTOTELES *Politic. Lib. VI c. 8. p. 531. B.* Πολλαχȣ̃ δὲ διῄρηται καὶ ἡ φυλάττεσα, ἀρχὴ, πρὸς τὴν πραττομένην, οἷον Ἀθήνησι τῶν ἕνδεκα καλεμένων. Horum etiam officium erat uidere, ut ſupplicium de damnatis eo, quo fas erat, modo ſumeretur. SCHOLIA *Ariſtophanis Veſp. uerſ. 1103. p. 317.* Η τῶν ἕνδεκα ἀρχὴ τὲς μὲν ὁμολογȣ̃ντας καὶ ἀνδραποδιςὰς καὶ λωποδύτας θανάτῳ ἐκόλαζον. Legebantur illi ſinguli e ſingulis tribubus, quarum quum decem, ut conſtat, Athenis eſſent temporibus poſterioribus, undecimus ipſis addebatur ſcribae functurus munere. IVLIVS POLLVX *Lib. VIII. ſegm. 102. p. 920.* Οι ἕνδεκα, εἷς ἀφ᾽ ἑκάςης φυλῆς ἐγίνοντο. καὶ γραμματεὺς αὐτοῖς συνηριθμεῖτο. ἐπεμελȣ̃ντο δὲ τῶν ἐν τῷ δεσμοτηρίῳ, καὶ ἀπῆγον κλέπτας, ἀνδραποδιςὰς, λωποδύτας κ. τ. λ. Notatus eſt Pollux a CAROLO SIGONIO *de republ. Athenienſ. Lib. IIII. cap. 3. Tom. V. Gron. p. 1609.* quod ſcripſerit, ab undecim uiris abductos eſſe homines male feriatos ac ſceleſtos, quum iſti ad undecim uiros potius abducti uideantur. At non erat, quod Iulio dicam ſcriberet Sigonius Vir doctiſſimus, adeo, ut ipſe potius humani hic aliquid paſſus eſſe nobis uideatur, quando non ab undecim uiris abductos reos iudicat in carcerem. Primum enim Pollux lictorum et carnificis munia ipſis adſcribit undecim uiris, quia, quod quis per alium facit, ipſe feciſſe dicitur. Deinde undecim uiris arceſſi ſolitis damnati a iudicibus tradebantur in ſenatu, ut eos et in cuſtodiam per lictores ducerent, et, quod ipſis decretum erat, ſupplicio mactarent. Extra controuerſiam,

ut mea fert opinio, rem ponit XENOPHON *Histor. Graec. Lib. II. p. 470. A.* Ἐκ δὲ τούτου ἐκάλεσε μὲν ὁ τῶν τριάκοντα κήρυξ τοὺς ἕνδεκα ἐπὶ τὸν Θηραμένην. ἐκεῖνοι δὲ εἰσελθόντες σὺν τοῖς ὑπηρέταις, ἡγουμένου αὐτῶν Σατύρου τοῦ θρασυτάτου αὐτῶν καὶ ἀναιδεστάτου, εἶπε μὲν ὁ Κριτίας, παραδίδομεν ὑμῖν, ἔφη, Θηραμένην τουτονὶ κατακεκριμένον κατὰ τὸν νόμον. ὑμεῖς δὲ λαβόντες καὶ ἀπαγαγόντες οἱ ἕνδεκα, οὗ δεῖ, τὰ ἐκ τούτων πράσσετε. Et ut ex hoc loco simul cognoscimus Theramenem cicuta necatum his quoque undecim uiris traditum esse, sic, quin cum reliquis eodem genere mortis affectis idem sit factum, nullum est dubium. De Socrate id praeter alios testatur LVCIANVS *Ioue confutat. p. 125.* Σωκράτης μὲν παρεδόθη τοῖς ἕνδεκα, Μέλητος δὲ οὐ παρεδόθη. Phocionem traditum esse undecim uiris, quibus ad supplicium more Atheniensium publice damnati tradi solent, perspicue narrat CORNELIVS *in eius uita cap. 4. n. 2.*

§. XX.

Horum igitur undecim uirorum iussu cicutam porrigebat damnatis carnifex, qui inde etiam uocatur undecim uirorum minister, Graecisque uel ὑπηρέτης uel δήμιος appellatur. Illud, ne multa hoc in genere producam testimonia, nos docet PLATO *Phaedon. p. 401. F* Καὶ ἧκεν ὁ τῶν ἕνδεκα ὑπηρέτης. Δήμιον autem hunc hominem dictum fuisse cum complures auctorum loci confirmant, tum in primis IVLIVS POLLVX et HELLADIVS. hic quidem *in Chrestomath. p. 18.* scribit δήμιον μὲν καλεῖσθαι τὸν τῶν ἐπὶ θανάτῳ καταδικασθέντων φονέα. ille uero *Lib. VIII. segm. 71. p. 897.* ubi uid. Interpretes, et addatur IAC. PERIZONIVS *ad Aelianum p. 806.* Appellatur etiam ab auctoribus nonnullis δημόσιος. quod an quisquam iam annotauerit, me fateor nescire. PLVTARCHVS *Phocion. p. 758. D.* Πεπτωκότων ἤδη πάντων, τὸ φάρμακον ἀπέλιπε, καὶ ὁ δημόσιος οὐκ ἔφη τρίψειν ἕτερον κ. τ. λ. uid. etiam IOANNES TZETZES *Historiar. Chiliad. VIII. histor. 181. uers. 5.*

§. XXI.

Cum uero extra controuersiam sit, a carnifice cicutam iis, qui morti addicti erant, allatam ac porrectam esse, tum dubium

dubium, certe controuerſum eſt, utrum haec cicuta publice dari ſolita Athenis fuerit a magiſtratu aſſeruata, an uero ab ipſo carnifice ſuis ſumtibus emta. Sunt profecto Viri doctiſſimi, qui cicutam Athenis publice ſeruatam fuiſſe ſtatuerunt. quo in numero ſunt GVIDO PATINVS et IOANNES HARDVINVS. Sic enim ille in epiſtola ad FORT. LICETVM, quae huius *antiquis ſchematibus gemmar. annular.* inſerta eſt p. 412. de hac ipſa cicuta, *Facilius*, inquit, *adducor, ut credam, fuiſſe quodpiam praeſentiſſimum, uel ſaltem haut ſegne uenenum ex magiſtratuum edicto carioſe ſeruari ſolitum, quo uorato meritas poenas luere iubebantur morti addicti nefarii et facinoroſi homines.* Vt ſententiae ſuae fidem faceret, prouocauit ad Valerium Maximum, qui, ut ſupra demonſtratum eſt, memorat uenenum cicuta temperatum in ciuitate Maſſilienſi publice cuſtodiri. Sed fruſtra a Viro experientiſſimo Valerium in partes uocatum eſſe inde apparet, quod Maſſilienſes, qui Graecorum colonia fuerunt, ideo neceſſe habuerunt cicutam ex Graecia allatam publice aſſeruare, quia cicuta Gallicana uires non habere mortiferas uidetur. uid. LICETVS *d. l. p. 419. ſeq.* et §. XII. Harduinus uero eandem opinionem defendit in doctiſſimis ſuis annotationibus ad *Plinii Hiſtor. Natur. p. 383.* ubi ad uerba Plinii, *Cicuta quoque uenenum eſt publica Athenienſium poena inuiſa*, ita commentatur, *Publica dicitur, quod cicuta publice Athenis cuſtodiretur.* At id ego nollem a Viro celeberrimo factum eſſe, quoniam in allatis Plinii uerbis adiectiuum *publica* non ad *cicutam* pertinet, ſed ad *poenam.* Appellauit quidem ſententiae teſtem IOANNEM TZETZEN, qui *κώνειον δημόσιον* appellet. Sed in eandem, quam in Plinio interpretando prodidit, inertiam dicam an negligentiam incurrit, et non tam ipſius Tzetzae uerba, quam eius interpretem Latinum, inſpexiſſe uidetur. Quo res euadat clarior, ipſum locum TZETZAE proferre, non erit alienum, qui eſt *Chiliad. VIII. hiſtor. 181. uerſ. 1. ſeqq.*

Σωκράτης ὁ φιλόσοφος κώνειον μέλλων πίνειν,
Ὡς Ἀθηναίοις ἄθεος δόξας καὶ καθειρχθεὶς δὲ,
Καὶ παρακελευόμενος καὶ κώνειον ὠνεῖσθαι,
Ὢ συμφορῶν ὑπερβολῆς, ἵνα πιὼν ἐκπνεύσῃ,

Κώνειον τὸν δημόσιον λεγόντων μὴ κεκλῆσθαι.

Quis Graece leuiter doctus non uidet, et interpretem Latinum, qui ultimum uersum reddidit, *cicutam publicam dicentibus non haberi*, et Harduinum quam longissime aberrasse, quum nihil aliud declaret, nisi cicutam a carnifice non comparatam esse et haberi. Hanc enim sententiam non dictio solum, κώνειον κεκλῆσθαι, sed et maxime nomen τὸν δημόσιον requirit. quod quo minus adiectiui ad τὸ κώνειον pertinentis uicem sustineat, praeter ipsam notionem, qua est carnifex, uel genus masculinum intercedit. quo genere an κώνειον inueniatur, dubito. Obiter et ipsius Tzetzae errorem liceat notare, qui, quod de Phocione assidui scriptores memorant, ad Socratem accommodauit, quando ab eo postulatum esse canit, ut cicutam a se bibendam sua pecunia emeret. Quod reliquum est, potuisse uenenum cicuta temperatum per longum temporis spatium conseruari praeter Massiliensium et Ceorum exempla probat THEOPHRASTVS *Histor. Plant. Lib. IX. c. 17.* qui de medicamento a Thrasya Mantinensi ad celerem obitum facilemque promouendum inuento et ex cicuta cum primis composito, scribit, Ἀβοήθητον δὲ πάνυ καὶ δυνάμενον διαμένειν ὁποσονοῦν χρόνον· καὶ οὐδὲν ἀλλοιούμενον.

§. XXII.

Itaque quanto magis sententia illa, qua cicuta publice Athenis custodita asseritur, a ueritate ac ritu ueterum discedere uidetur, tanto uehementius altera illa, quae a carnifice emtam esse cicutam contendit, se mihi probauit. In qua quidem re hoc minus superesse molestiae et difficultatis cernimus, quod eam iam satis, si quid iudicare possumus, praeter STEPHANVM *de iurisdictione Vet. Graec. c. 12. Tom. VI. Gron. p. 2733.* expediuit PETRVS PETITVS *Obseruat. Miscellan. Lib. I. c. 17. p. 46. sq.* cuius nos hic uestigia legisse, non est, quod dissimulemus. Is ergo ad emtionem, a carnifice quae facta est, cicutae uindicandam primo loco produxit PLATONEM, apud quem *Phaedon. p. 378.* A. Critias ait, Τί δὲ, ὦ Σώκρατες, ἢ πάλαι μοι λέγει ὁ μέλλων σοι δώσειν τὸ φάρμακον, ὅτι χρή σοι φράζειν, ὡς ἐλάχιστα διαλέγεσθαι. φησὶ γὰρ θερμαίνεσθαι μᾶλλον διαλεγομένους. δεῖν δὲ οὐδὲν τοιοῦτον προσφέρειν τῷ φαρμάκῳ. εἰ δὲ μὴ, ἐνίοτε ἀναγκάζεσθαι καὶ δὶς καὶ τρὶς πίνειν τοὺς τι τοιοῦτον ποιοῦντας. Haec admonitio uix uidetur a carnifice

mi-

misericordia in Socratem ducto profecta esse, ne ipsi scilicet mors esset laboriosior. nam quamuis ab ipso Socrate ibidem appelletur uir bonus, minimeque, ut id genus hominum esse consueuit, inhumanus, tamen, si cicuta publicis sumtibus comparata fuisset, ipsius parum aut omnino nihil interfuisset, utrum semel, an bis terue cicutam tereret porrigeretque bibendam. Quamobrem hoc monitu nihil minister iste publicus sibi uolebat aliud, nisi ne cogeretur iterata potione cicutae a se emendae plus pecuniae insumere. Atqui in more fuisse Athenis, ut carnifex cicutam suis impensis compararet, locus PLVTARCHI, a Petito pariter iam annotatus perspicue euincit, qui in *uita Phocionis p. 758. D.* legitur. Πεπωκότων ἤδη πάντων, τὸ φάρμακον ἀπέλιπε. καὶ ὁ δημόσιος οὐκ ἔφη τρίψειν ἕτερον, εἰ μὴ λάβοι δώδεκα δραχμὰς, ὅσου τὴν ὁλκὴν ὠνεῖται. χρόνου δὲ γενομένου καὶ διατριβῆς, ὁ Φωκίων καλέσας τινὰ τῶν φίλων καὶ εἰπὼν, ἐπεὶ μηδὲ ἀποθανεῖν Ἀθήνησι δωρεάν ἐστιν, ἐκέλευσε τῷ ἀνθρώπῳ δοῦναι τὸ κερμάτιον. Quo quidem loco quid clarius ad hanc sententiam confirmandam afferri possit, equidem non uideo, praesertim quum POLLVCIS auctoritas accedat, qui κώνειον disertis uerbis carnifici, damnatos capitis interficienti, assignat, et inter instrumenta, quibus publicus minister utitur, recenset. *Lib. VIII. segm. 71. p. 897.*

§. XXIII.

Praeterea ex eo, quem modo adduximus, loco Plutarchi duo momenta nobis suppeditantur copiosius perlustranda, quorum alterum de caritate cicutae apud Athenienses nos reddit certiores: alterum uero nos instruit, quantum cicutae ad interficiendum hominem requiratur. Quod ad prius attinet argumentum, libram cicutae duodecim drachmis ueniisse Athenis, ex carnificis postulatione cernere datur, qua tantum a Phocione pecuniae non flagitauit solum, sed et ab amico ipsius nomine accepit. Iam uero si una drachma, quae uulgaris est computandi ratio, quatuor sestertios Romanorum confecit, et unus sestertius paria fecit cum octo numulis nostrae monetae, libra cicutae constitit Athenis nostra pecunias numerandi consuetudine duobus florenis, seu imperiali cum tertia in-

ſuper parte, adeoque carnifici in unumquemque hominem cicutae hauſtu necandum duo floreni impendendi fuerunt. Libram autem cicutae, quod alterum momentum reſpicit, ſuffeciſſe homini trucidando, tam ex eodem Plutarchi loco elucet, quam ex THEOPHRASTO, qui *Hiſtor. Plant. Lib. IX. c. 17.* de Thraſyae Mantinenſis medicamento paullo ante commemorato, ὥστε εὔογκον εἶναι πάνυ καὶ μικρὸν, ὅσον εἰς δραχμῆς ὁλκήν. ἐλάμβανε δὲ τὸ κώνειον, οὐχ ὅθεν ἐτύγχανεν, ἀλλ' ἐκ Σουσῶν, καὶ εἴτις ἄλλος τόπος ψυχρὸς καὶ πάλισκος. Neſcio, an ex hoc loco cum Plutarcho collato elici poſſit, ideo tanti conſtitiſſe carnifici cicutam, quod non in Attica, ſed uel Suſis uel in alia regione extera natam emeret. Id tamen ex his dilucide uidemus, cur miniſter publicus non permiſerit Socrati aliquid ex poculo ſpargendo ſacrificare, et cur tantum contriuerit ſolum, quantum ſatis fore putauerit. PLATO *Phaedon. p. 402. B.* Τί λέγεις, ἔφη Σωκράτης, περὶ τοῦδε πόματος πρὸς τὸ ἀποσπεῖσαί τινι. ἔξεστιν ἢ οὔ; τοσοῦτον, ἔφη ἄνθρωπος, ὦ Σώκρατες, τρίβομεν, ὅσον οἰόμεθα μέτριον εἶναι πιεῖν.

§. XXIIII.

Nec illa quaeſtio plane ſilentio praetermittenda eſt, utrum cicuta haec Athenienſium publica merus cicutae ſuccus fuerit, an uero uenenum cicuta temperatum, praeſertim quum hac de re Viri doctiſſimi inter ſe egerint, et amice animi ſenſa ſibi aperuerint. Fuerunt illi GVIDO PATINVS, Medicus Pariſienſis, ordinis medici Decanus, et FORTVNIVS LICETVS, Genuenſis, quorum epiſtolae de hac quaeſtione mutuae habentur in laudati LICETI *antiquis ſchematibus gemmarum annularium p. 411. ſeqq.* Negat PATINVS, quod et ANTONIVM GVAINERIVM *de uenenis cap. 9.* feciſſe reperio, merum cicutae ſuccum fuiſſe, et e contrario contendit, uenenum fuiſſe cicuta temperatum. Sic enim *d. l. p. 412.* ſcribit, *Tantane eſt edita ſtrages ſolo ſucco herbae illius, cicutae, quae id habet nominis? equidem id nunquam in animum inducam meum. neque enim uſu comperitur tantarum eſſe uirium. ab eius hauſtu uel largiori parui uix quicquam relinquitur aliud praeter capitis grauitatem.* Hinc credit fuiſſe quodpiam praeſentiſſimum aut ſaltem haut ſegne uenenum ex magiſtratus edicto curioſe ſeruari ſolitum;

nec

nec multum suspicatur diuersum fuisse ab eo ueneni genere, quod apud Ceos et Massilienses paratum atque asseruatum fuerit, et recentiorum Chymicorum antimonio respondisse. In auxilium quoque Plinii locum, ubi cicuta publica Atheniensium poena inuisa dicitur, uocauit, sed aeque inuitis Gratiis, ac Harduinus supra iam notatus. Proinde doctissimus LICETVS *d. l. p. 419. seq.* recte hanc sententiam reiecit, uariisque argumentis probauit, ad addendam uim cicutae Graecanicae uere de se letali nihil additum. Et sane huic opinioni patrocinantur testimonia auctorum ueterum tantum non omnium, qui soli cicutae eiusque succo ex semine expresso uim mortiferam consensu mirabili adscribunt. Illis bene multis, qui hinc inde iam laudati sunt, locis auctorum unicum hic non ab re erit addere ex PLINIO H. N. XXV, 13, repetitum, *Semine trito cicutae expressus et densatus succus in pastillos necat sanguine spissando.* Deinde ne unus quidem, quod sciam, scriptorum, qui huius poenae publicae apud Athenienses mentionem iniiciunt, memoriae mandauit, cicutae in potione ista ferali quicquam additum fuisse. Denique quum haec sententia illo maxime argumento niti uideatur, quod cicuta seu uenenum illud cicuta temperatum Athenis publice custoditum fuerit, eiusdem notae censenda ipsa est, cuius esse fundamentum, quo superstructa est, paullo ante demonstratum dedimus. uid. §. XXI.

§. XXV.

Vehiculum, quo cicutae potio damnatis fuerit apposita et a carnifice porrecta, quis ueterum aperte nobis indicauerit, me solide ignorare fateor. Hoc certum et indubitatum est, a ministro publico paullo ante potionem ipsam cicutam tritam esse. Hinc Socrates apud PLATONEM *Phaedon. p. 401. H.* Ἀλλάγε δὴ πειθώμεθα αὐτῷ καὶ ἐνεγκάτω τις τὸ φάρμακον, εἰ τέτριπται. εἰ δὲ μὴ, τριψάτω ὁ ἄνθρωπος, uid. SCHOLIA *Aristophanis Ran. uers. 123. p. 125.* Hinc cicuta trita uocatur apud OVIDIVM *Art. Amat. Lib. III. uers. 465.* Nec obscurum est, in poculo tritam iam cicutam a lictore ministratam esse, ex eodem PLATONE *d. l. p. 402. A.* Ἧκεν ἄγων τὸν μέλλοντα δώσειν τὸ φάρμακον ἐν κύλικι φέροντα τετριμμένον. At quanquam liquor, quo cicuta bibebatur in poculo

diluta, non eſt perſpicuis uerbis ſignificatus, tamen, ſi coniecturae non prorſus, opinor, improbabili locus eſt, uino mixta fuit cicuta publica, propterea quod in uino pota et celeriorem affert obitum, nec ſanabilis eſſe putatur a PLINIO H. N. XXV, 13. *Remedio eſt*, cicutae, *priusquam perueniatur ad uitalia, uini natura excalfactoria, ſed in uino pota irremediabilis exiſtimatur.* uid. PLVTARCHVS *Sympoſiac. Lib. III. quaeſt. V. p. 653. A. de diſcrimine adulat. et amici p. 61. B.* et MACROBIVS *Saturnal. VII, 6*, idem confirmantes. Bibere autem plerumque poſt occaſum ſolis, coena largiter ſumta, conſueſſe moribundos, iterum nobis perſpicere licet ex PLATONE *Phaedon. p. 401. H.* ubi Crito ſic ait, Ἀλλ' οἶμαι ἔγωγε, ὦ Σώκρατες, ἔτι ἥλιον εἶναι ἐν τοῖς ὄρεσι, καὶ οὔπω δεδυκέναι. καὶ ἅμα ἐγὼ οἶδα καὶ ἄλλους πάνυ ὀψὲ πίνοντας, ἐπειδὰν παραγγελθῇ αὐτοῖς δειπνήσαντάς τε καὶ πιόντας εὖ μάλα. Quod uero quum ex mente Socratis, ut ibidem docetur, nulla alia de cauſſa factum ſit, niſi ut tempus aliquod uiuendi lucrarentur, idem facere recuſauit philoſophorum inter Graecos facile princeps.

§. XXVI.

Supereſt, ut, quod ſupra nos polliceri meminimus, paucis doceamus, quo cicuta publica necatorum cadauera ablata fuerint. Etenim habuiſſe Athenienſes loca eiuſmodi, quo a carnifice capite plexorum cadauera proiicerentur, neminem niſi antiquitatum Atticarum penitus ignarum neſcire arbitror. Itaque ut alia iam ne commemorem, notum eſt ex PLVTARCHO *Themiſtocl. p. 123. A.* in fanum illud Dianae, quod extruxit Themiſtocles et Ariſtobulen appellauit, poſtea cadauera ſupplicio affectorum carnifices proieciſſe, ueſtesque et laqueos extuliſſe eorum, qui ſtrangulati et interfecti fuerunt. Et quis neſcit, illatae iniuriae damnatos ſupplicio peracto in locum, quem barathrum uocarunt, abiectos eſſe? uid. XENOPHON *Hiſt. Graec. Lib. I. p. 450. D.* At haec ignominiae nota iis, qui cicutae publicae hauſtu extincti ſunt, non fuit poſt fata ultima inuſta. Nam etſi de Theramene et Socrate id expreſſe ab antiquis traditum non annotaui, rem tamen ponit extra dubitationem omnem LYSIAS, qui *in oratione contra Eratoſthen. p. 150. ſeq.* clariſſime docet, Polemarchum fratrem cicuta a tyrannis ſublatum amicis et cognatis traditum fuiſſe, qui eum more patrio ſepelirent. Nec obſtat Phocionis humatio a ſeruis et id quidem extra Atticam peracta, auctore NEPOTE *c. 4. in eius uita.* propterea quod lex erat Athenis, quae uetabat proditionis crimine damnatos in Attica ſepeliri. uid. XENOPHON. *Hiſt. Graec. Lib. I. p. 450.* et SAM. PETITVS *ad leges Atticas p. 562.* et hac de re diſſentiunt inter ſe auctores ipſi, DIODORO SICVLO eum citra ſepulturam extra fines Atticae proiectum, et PLVTARCHO a ueſpillone ultra Eleuſinen portatum crematumque, referente. Nos exequiis cicuta publica interfectorum noſtrae commentationi finem imponimus, ſolemni ueterum adiecta formula,


ILICET.

NOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE

ADRIANO DEODATO STEGERO

S. P. D.

P R A E S E S.



Audi quondam non exiguae erat clientibus, quando ipsis dabatur facultas patronorum filios suo quemque tirocinio in forum deducendi. Ego uero, ut mihi singulari plane ducam honori, TE, NOBILISSIME STEGERE, in lucem Academiae primum prodeuntem comitari, multis nominibus adducor. Nam cum ab ILLVSTRI TVO PARENTE, non dicam patroni, sed parentis loco aetatem mihi deuenerando, tanta in me sunt beneficia sine ullo merito meo collata, quanta ne optare quidem, nisi animo impudentissimo, fas est, tum honorem, qui hodie mihi contingit, hoc maius beneficium interpretor, quo minus cuiquam tam clarum statim ingenium est, ut possit emergere, nisi illi materia, occasio, fautor denique contingat. Itaque utrum TIBI, DOCTISSIME STEGERE, tirocinium quasi deponenti, an mihi TE uelut in forum deducenti, maiorem in modum gratuler, anceps omnino dubiusque haereo. Etenim naturale illud bonum, quod in TE

per-

perſpexi, et ingenium ad ſumma quaeque natum cogitanti nullum eſt dubium, quin ſis cum laude et bonorum omnium applauſu publice ſtaturus. Quodſi uero acumen iudicii TVI aetate fere maioris intueor, plane confido, talem TE in arena publica futurum, qualem et ego et omnes, qui TE norunt penitius, fore ſperarunt. Quando ergo amantis eſt, non onerare laudibus amantem, eo minus a me, mi STEGERE, in praeſentia laudis expectabis, quo certius TE et incorruptius manet uirtuti TVAE debitum aliorum praeconium. Tu fac ingenium intendas, et, quam ſaepius priuatim mihi probaſti, eruditionem publico ita comprobes, ut expectionem de TE conceptam non ſuſtinuiſſe ſolum, ſed et uiciſſe uideare. Quo fiet, ut, quae Socratem magnum feciſſe dicitur cicuta, eadem et laudi TIBI futura ſit et ornamento. Ego, quod reliquum eſt, nunquam Deo immortali non ſupplex ero, ut PARENTI OPTIMO longam, uegetam, ſimilemque iuuentuti largiatur ſenectam, TIBIque praetextam quaſi hodie ſumtam tam fortunatam eſſe iubeat, ut Patris Indulgentiſſimi ingraueſcens aetas in probitate TVA conquieſcat, ampliſſimae gentis TVAE ſplendor laudibus TVIS amplificetur, patriaeque gloria TVI nominis celebritate olim illuſtretur. Vale, et, quem amas, amare ne deſine. Scribebam

Lipſiae pridie Kalendas Sextiles A. O. R.

MDCCXXXIIII.

